4,87

DE GREGORIO

POETICAE PROLUSIONES PERPAUCAE


DE GREGORIO

POETICAE PROLUSIONES

PERPAUCAE

POLITIORUM LITTERARUM

AMATORIBUS



NEAPOLIS

EX TIPOGRAPHIA ANDROSIO

MDCCCLIII

POETICAE PROLUSIONES,
EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO
CARDINALI
HIERONYMO E MARCHIONIBUS DE ANDREA,
ARCHIEPISCOPO MILITENENSI,
A ROCHO DE GREGORIO,
EPISCOPO SANCTI SEVERI,
ET EQUITE REGALIS ORDINIS FRANCISCI I.
IN OBSEQUIUM DICATAE.

Eminentissime, et Reverendissime Domine,

Quum per tria lustra Ecclesiasticis meis Superioribus officiosissimus, et obsequentissimus, ad erudiendam in politioribus disciplinis, eloquentiaque imbuendam Sacram Iuventutem privatim, et in Venerabilibus Ciriniolae, et Laquedoniae, meae Patriae, Seminariis Moderans, Docensque fuissem constitutus, operae pretium procul dubio existimavi, Iuvenum bonae frugis, et optimae spei animos versibus exacuere, qui, ad vitium odio habendum, et ad virtutem laudibus prosequendam, fuere comparati: eo vel maxime, quod in mente volutabam, etiam Sanctos Patres nostrae Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, Hebraeum Pastorem, in numeris Dei laudes concinentem, imitantes, a Poesi minime alienos fuisse. Hinc in Classicis enucleandis, eo-

rum exempla puberes sequuti, et utile dulci bellè mistum inspicientes, me duce, et auspice, quod ad humeri valebant, necessaria edocti principia, ad graphice animi motus, lingua interpetre, efferendos, in morum suavitate, et in intellectus perfectione, brevi faciles ore rotundo in soluto sermone loquentes, et pene ad unguem perfectum in numeris scribentes, evaserunt, quod cunctis inibi est exploratum, et mihi compertum est experientia. In hisce omnibus, meis dum muneribus fungebar, exequendis, in erroribus coercendis, et in mendis castigandis, toties et mihi necesse fuit carmina componere, quorum perpauca pro temporum injuria vix supersunt, additis quibusdam, quae pro re nata, ad boni promovendi studium, et ad animi le-

vamen captandum, Episcopatus curis nimium onerosis distenti, etiam nunc non indecorum perpensum fuit procudere, praesertim in praeclarum FERDINANDUM SECUNDUM, *Utriusque Siciliae Regem nostrum Pientissimum, a quo Deus per saeculum, et ultra omne malum averruncet, ad totius felicis nostri Regni pacem, tranquillitatemque, in Regales Principes, et Magistratus, in varios laude dignos Viros, in nobilissimam Eminentiae Tuae Reverendissimae Familiam, et in* PIUM PAPAM NONUM, *Pontificem Maximum, pro Te, Eminentissime, et Reverendissime Domine, qui ab Ipso jure, meritoque, pro Tuis meritis non exiguis, buccis crepantibus in Orbe notis, Cardinalis Praesbyter, cunctis probantibus, fuisti renuntiatus. Tandem, ut*

Te, Eminentissime, ac Reverendissime Domine, qui in primis Romae sacris sedes subselliis, Nostri Neapolitani Regni decus, et gloria, moribus integerrimis ornatus, sanguinis splendore, et ingenuitate decorus, intemerata Relligione, et cana fide imbutus, omnigena virtute refertus, sacras callens litteras, et eruditione pollens, officioso cultu afficiam, et obsequio, exerta omnium mearum virium contentione, ut in unum colligerem, quae potui, ex meis carminibus, his Te donare in summae reverentiae meae signum, devotique animi significationem, meis ferventibus est in votis, qui prorsus non ambigo, Te tam bonum, et perjucundum non aegre accepturum, atque adeo comiter capturum fore qualiacumque sint, quae proferuntur ex animo. Hinc

Sacram Purpuram Eminentiae Tuae Reverendissimae osculis appetens, praesto in honorificentissimis Tuis jussis capessendis, devotissime me subsigno.

Eminentiae Tuae Reverendissimae

Datum Sancti Severi Idibus Juliis, Anni MDCCCLIII.

Eminentissimo, ac Reverendissimo Principi Domino Hieronymo de Andrea, ex Dynastis Troire, Archiepiscopo Militenensi, S. R. E. Praesbytero Cardinali, tituli S. Agnetis extra moenia, Archimandritae Sublacensi, Equiti Torquato Ordinum plurimorum, et sacrae Indicis Congregationis Praefecto

Romam

Humillimus Famulus officiosissimus

EQUES ROCHUS DE GREGORIO EPISCOPUS SANCTI SEVERI

HIERONYMUS
S. E. R. PRESBYTER CARDINALIS DE ANDREA
TIT. HAGNE EXTRA POMERIUM
V. C. ROCHO DE GREGORIO,
EPISCOPO S. SEVERI,
SALUTEM PLURIMAM DICIT.

Ex repetitis litteris tum tuis, humanitatis et benevolentiae plenis, tum fratris mei Francisci Xaverii Dyn. Alphidenens., viri, ut probe noscis, propositi tenacis, antiquae morum gravitatis, in latini sermonis peritia, et plurimarum disciplinarum cognitione haud mediocriter versati, tibique amicitiae vinculis addictissimi, intellexi te pro nimia tua in me benignitate statuisse carmina omnia, quae horis subsecivis latine praescripseras, quibusdam additis orationibus, istic propediem typis committenda, meo nomini dicata, in vulgus edere. Equidem hujusmodi humanitatis et singularis observantiae in me tuae officium perjucundum ac gratum accidit: primum quod excellentis ingenii tui atque admirabilis facilitatis, qua in condendis carminibus, praestas, suavissimum specimen elucebit;

deinde quia non possum non vehementer gaudere de consilio, quod cepisti, tua sagacitate tuaque prudentia digno, adolescentium animos, proposito exemplo, quo nihil potentius, Seneca ajente « Longum iter per prae- « ceptum, breve et efficax per exemplum » ad politiorum litterarum studia informare, atque accendere: eo vel magis quod hoc nostro saeculo, haud sane eruditissimo, nescio quo religionis ac bonarum artium fato, apparent rari latinae linguae cultores. Quamobrem multas gratias ago habeoque tibi, praesul optime, pro tanto tamque eximio munere; tuumque susceptum erga me amorem perpetuum mihi conserves velim. Interea Deum opt. max. precor, ut te Dioeceseos bono, quae tuae pastorali sollicitudini concredita, in dies magis magisque efflorescere videtur, atque utilitati et com-

modis juventutis, sacrae militiae accensendae, diutissime servet incolumen. Vale, et valetudinem tuam cura diligenter.

Romae, VIII. Kal. Sept. MDCCCLIIL

« P. S. Distichon, quod, inspecta in tabula depicta « mei imagine domi optimi fratris mei, ex tempore feliciter exarasti, lubentissime legi : verumtamen cum « laudes, quas mihi tribuis, non merear, velim ut in posterum perpolito calamo tuo utaris ad eos tantum viros celebrandos, qui doctrina et virtutibus excellunt, « atque reipublicae tum christianae, tum civili utiliter « inserviunt. Iterum vale; atque avunculo tuo, qui me « anno superiori istic humanissime excepit, salutem.

HIERONYMUS CARDINALIS DE ANDREA.

POESEOS UTILITATES

UT SUORUM AUDIENTIUM ANIMOS AD IPSAM

EXACUAT ADDISCENDAM,

DUM PUBLICE PALLADIS ARTIUM LABORES

EXPERIUNTUR IPSI,

ROCHUS CANONICUS DE GREGORIO,

LAQUEDONIENSIS HUJUS VENERABILIS SEMINARII RECTOR,

ET ELOQUENTIAE PROFESSOR

BENE MERITIS LAUDIBUS PROSEQUITUR.

CARMEN

Noctis in obscuro Morpheus lumina somno
Comprimit; et dulcem carpunt dum membra soporem,
En rapior. Prorsus regali splendida luxu
Me tenet ampla domus: tenebras funalia vincunt
Flammis; dum niveis fulgent laquearia gemmis,
Emicat hinc paries, pario de marmore structus,
Insignis maculis auri, decoratus et ostro.
In medio statuunt bis sena sedilia Nymphae;
Purpureis late splendentibus illita pannis.

Filius en Majae, Divorum Nuntius, adstat,
Consentesque: locum capiunt ex ordine cuncti:
Iupiter ipse praeest; sceptro sua jura patescunt:
Imperat at Divus Natas crinitus adesse,
Pulsantes citharas, cantantes carmina chordis:
Ordine procedunt; se sistunt ordine Musae.
Iam vacat exsiliens pars exercere choreas;
Numinibus lauro pars nectit rite coronas;
Vitrea Castalii fontis pars pocula praebet;
Dulcia fila Chelys pars rite sonantia pulsat;
Calliope Patri dulcem componit et hymnum.
Phoebe, tuis semper resonabit laudibus aether.
Quod Deus es numeri; Vati quod carmina dictas,
Carmina laeta canent, laetantes jure Sorores;
Carmina laeta canent ducentes Castalis undas.
Turpe silere lyrae; turpe est mutescere nobis:
Te propter laeto complentur pectora motu;
Te propter chordas percurram pectine gaudens.
Quae tibi debentur pro dulci carmine laudes?
Montibus, et sylvis, brutorum more, pererrans,
Exlex vivit homo; sibi glandes comparat escas;
Impunis caedes exercet; legibus Obes,
Fortior est victor, dominatur fortior omni.
Cantor at Orpheus, numerosus versibus, ipsum
Emulcet, sociumque facit ratione fruentem;
Omnibus una quies, ac parent legibus omnes.
Ius datur hinc populis numeris; Divina canuntur
Versibus; et Vates componunt carmine lites.
Vivendi normas scripserunt carmine prisci.
Sortis Apollineae reserantur carmine vota.
Rebus in adversis versantes Palladis artes,

Versibus inflectunt sibi semper dulce levamen.
Prospera cuncta fruens, si pollet carminis arte,
Carminibus melius semper melioribus addit.
Sedula qualis apis, non uno e cespite florem
Carpens, aërium depascitur avia rorem,
Distinet ac multas perdulci nectare cellas,
Versibus attingit melius studiosa juventus,
Erudit et mentem, duce Apolline; singula lustrans.
Aeternum vivet Majorum gloria versu,
Aeternam Vates sibi captant carmine famam.
Salve, Phoebe Pater, nostri pax aequa, salusque!
Salve, Phoebe Pater, qui es castis gloria Musis!
Salve, Phoebe Pater, qui es Vatum Numen amicum!
Te venient cultum longinqui in vertice Pindi;
Delphica dona petent tundentes pectora palmis:
Sedibus in Lyciis Te votis quisque fatiget;
Sedibus in Delphi perstringet vocibus aures
Salve! . . . Sed tanto Tibi quas pro munere grates
Reddimus? Horriferae celsis dum montibus umbrae
Lustrabunt convexa; polus dum sidera pascet,
Vivat in Orbe tuum semper laudabile Nomen.
Dixit: et ex oculis laeta haec effugit imago.
Calliopes hymnum stupefactus mente volutans,
Carminis et laudes, imo de pectore mitto:
Horrida Monstra maris siccis pascentur arenis,
Silvarumque ferae nutrientur in aequoris undis;
Filia Titanis tenebrarum Nuntia surget,
Solis et occasum cernemus lumina ferre,
Talia quam Lethes nigras mergantur in undas,
Excidat et Musae nostro de pectore cantus.

Sidera donec erunt fulgentia ; Phoebus amicos
Diffundet radios ; in Coelis Cynthia fulget ;
Aëra donec avis ; saltus dum dama pererrat ,
Dicam : *Semper honos Musae , laudesque manebunt...*

Datum Laquedoniae ex Venerabili Seminario.
VI. Idus Quintilis, Anno reparatae Salutis.
MDCCCXXXVII.

POESIS IN LAUDEM

SAPPHICUM

Veste concinna, rubicunda malis
Rite percomptis nitide capillis
Huc ades, Clio, comitante Phoebo,
Patre corusco.

Barbiton Lesbi, citharaeque dulcem
Dant sonum, multo moderante Cive:
Plectra tu nostri moveas; secunda
Praecipe Carmen.

Est decus Vatum, Heliconis, atque
Castalis sacri, Patris, ac Sororum,
Carminis juxta meritum per Orbem
Namque tuendum.

Saltibus tutus peragrabat exlex,
Caede se versans, homo, dum ferarum
More vivebat rudis, atque prorsus
Inscius Urbis.

Numinum Interpres, Sacer et Minister
Surgit Orpheus numeris decorus,
Hisce dum suadet, statuit subesse
Legibus omnes.

Dictus Amphion sibi saxa ferre
Quod Viros secum numerosus omnes
Duxerat versu, meritosque carpsit
Orbis honores.

Versibus Vates cecinere Sacra :
Pastor Hebraeus retulit canendo
Illius laudes, mare qui universum
Temperat ipsum.

Versibus leges retulere prisci :
Jura scripserunt pariter maritis :
Dictat et Sortes numeris Sacerdos
Pythia multis.

Versibus Vates Venusinus almus
Nomen aeternum sibi comparavit :
Vivet extento Maro grandis aevo ;
Naso, Tibullus.

Versibus mentes acuunt periti ;
Dulce solamen capiunt canentes
Rebus adversis ; meliora reddit
Prospera Carmen.

Sole Te, Clio, fugiente quaero ;
Sole Te votis redeunte clamo ;
Compos ut fiam, meritas rependens
Carmine grates.

Hos tua Cives capias sub umbra ;
Meque defendas igitur precantem ;
Hauriat quisquis, duce Te, perennes
Castalis undas.

Datum Laquedoniae, XV. Kalendas Februarii
Anno a Christo nato MDCCCXXXVII

Noctu,
In aestu febris delirat Auctor.
MDCCCXLVIII.

Italiam Iuvenem vesana juventus amavit;
Ocyus igne senex utraque facta, cadit.

FERDINANDO SECUNDO
PIENTISSIMO, AC MUNIFICENTISSIMO UTRIUSQUE SICILIAE REGI,
INTER EUROPEOS CORONATOS PRAESTANTIORI,
FAUSTISSIMA REDEUNTE NAVITATIS SUAE SOLEMNITATE,
ROCHUS CANONICUS DE GREGORIO
VARIARUM SOCIUS ACADEMIARUM,
IN SUAE OBSERVANTIAE, GRATIQUE ANIMI TESTIMONIUM,
HOC LYRICUM CARMEN
D. D. D.

ODE

Salve, clara dies, Regem populis, Patrem benignum
Quae tunc dedisti; Rexque summe, salve!...

Orpheus, Anphion silvas sibi; flumen, et Leones
Cantu trahens, tua quiverit referre.

En ope nupta Tui Virgo petit omnis, alme Princeps,
Pro Te, tuisque Numinis, favorem.

En miser indutus clamat: Pater alme, vive nobis;
Tibi salus sit, Nestoris diesque.

Filius exultat, dulci Patre jam domi recepto,
Vinclis soluto, vota multa fundens.

Inspecti Dux, et miles simul impigri resultant,
Fernande, felix sis, diu, precantes.

Praesulibus dignis, Ecclesia festum agens, receptis,
Pro Te Deo dat sacra, thura, voces.

Legibus en aequis Regnum viget, optimis Ministris
Gaudens, ab Alto Te senem reposcit.

Unusquisque Tibi votum facit; ac ego Sacerdos
Indignus, o Rex, millies reclamo:

Nuper in orbe, Deus, natus puer omnibus fruendis
Da Principi, qui nos gubernat, omen.

Datum Laquedoniae pridie Kalendas Januarias
Anno a Christo nato MDCCCXXXII.

FERDINANDO SECUNDO
PERINCLYTO INTER EUROPAE MONARCAS,
ONOMASTICA IPSIUS RECURRENTE FESTIVITATE,
ROCHUS CANONICUS DE GREGORIO,
A LAQUEDONIA
IN SUI DEVOTIONIS, ET OBSERVANTIAE SIGNIFICATIONEM
D. D. D

ELEGIDION

Sit procul a nobis Angor, querimonia, luctus:
Exsiliant populi, tempora laeta fluunt.

Principis excelsi nomen celebratur ubique,
Quemque decet laetum magnificare diem.

Es nobis, Princeps, Regno concessus ab Alto,
Saturni renovans regna beata tuis.

Ordine quaeque suo stant res; adversa fugantur,
Exulat omne malum, regnat et omne bonum.

Expulsis vitiis, virtus fulgere videtur,
Quisquis in officio se tenet inde suo.

Non quia dextra tenet sceptrum, caput atque coronam,
Ad Te dirigitur publicus Orbis amor:

Sed quia Te decorat generoso pectus honesto,
Principis et justi munere rite micas.

Unus amor, nostri studium Tu cordis et unum;
Nosque Tui studium cordis, amorque sumus.

Vive diu felix nobis, Clarissime Princeps;
Vincat Nestoreos ac Tua vita dies.

Vive diu felix , Tu nostra tuere per aevum ,
  Infestusque , procul victus ab hoste , cadat.
Vive diu felix , vivat per saecula nomen ;
  Sospite Te , populis cuncta Beata fluent.

Datum Laquedoniae III. Kalendas junias ,
Anno partae Salutis MDCCCXXXII.

FERDINANDO SECUNDO,
OPTIMO UTRIUSQUE SICILIAE REGI,
INTER OMNES EUROPAE CORONATOS FAMA CELEBERRIMO,
SUAE GENTIS FELICITATI, ET PROPRIO DISCRIMINE,
MAXIMOPERE CONSULENTI,
IPSIUS ONOMASTICA RECURRENTE CELEBRITATE,
ROCHUS CANONICUS DE GREGORIO
A LAQUEDONIA, PROVINCIAE PRINCIPATUS ULTERIORIS,
UT PRAECLARI PRINCIPIS MERITUM, NOMENQUE
AETERNITATI COMMENDET,
IN AERE PERENNIUS SUBMISSI, GRATIQUE ANIMI MONUMENTUM
D. D. D.

ODE

Felix Parthenope! Principe Maximo
FERNANDO decorata, inclyta diceris
Cunctis Solis ab ortu
Fines ad Geticos. Io!...

Plaudas, dum celebras exsiliens Sui
Nomen: respicias quae bona, quae mala,
Sollers rite gubernaus
Affert, ac vigilans fugat.

Regni sollicitus prospiciens bono,
Hirpinis, Siculis, et Calabris adest;
Ac Apulia visu
Gaudet Principis optimi.

Aures propitius praebet egentibus :
Nunc large miseris ; nunc Viduis favet :
Multas dote puellas
Recte collocat Hic viris.

Compescens nimium destruit Hic nefas :
Aequis legibus Hic diruit improbos
Prudens : afficit arte
Iustos Hic pretio pius.

Nunc stupris minime polluitur domus :
Nunc caedes reticet luxurians nihil :
Fraudes sunt procul : omnes
Regnans alma beat quies.

Industri remeant aequora navitae :
Tellus agricolae vomere sciuditur ;
Regni mercibus omnes
Visunt impavidi plagas.

Hostes ut valeat fulminibus tuos
Oppugnare satis , quotidie studens
Martis callidus arte
Exercet bene milites.

Hinc Titi bonitas , Relligio Numae ;
Callens Aeolidis ; Caesaris aequitas ;
Persarum ars, Dominantis
FERNANDUM decorat tuum.

Prorsus Rege sub hoc ferrea desinet
Aetas : aspicies aurea saecula
Laetis surgere fatis ;
Saturnus dominabitur !

Gaude sorte tua , Parthenope , nimis :
Gentis lumine spectaberis invido
Posthac digna legentis
Fastis Principis Inclyti.

Cives aetherei , fundite supplices
Nobiscum Domino vota petentibus ,
Regem ut serius almum
Tangat saeva necessitas.

Datum Laquedoniae II. Kalendas junias
Anno a Christo nato MDCCCXXXIII.

FERDINANDO SECUNDO,
UTRIUSQUE SICILIAE REGI,
IPSIUS ONOMASTICA RECURRENTE CELEBRITATE,
ROCHUS CANONICUS DE GREGORIO
IN SUI OBSEQUENTIS ANIMI DEVOTIONEM
D. D. D.

ELEGIA.

Alma dies currit Regno sollemnis in omni ;
  Gratior hac populis non erit alma dies.
Nominis Excelsi Regis nunc vertitur annus ,
  Est igitur nostrum concelebrare diem.
Fernandus Princeps , Regali sanguine cretus ,
  Regno prospiciens , omnia recta facit.
Hic solium scandit : meditatur parcere cunctis.
  Omnia componit , parcit et inde pius.
Hic librat sumptus , nostro quae pondera Regno
  Insunt , ut populos sublevet usque suos.
Cursitat huc illuc ; capit in sermone , requirit ,
  Navus dissimulans , unde laborat inops.
Hic propriis oculis ardens invisere gentes ,
  Innumeras peragrat protinus arte plagas.
Hic studet , ac sollers , ut Regni possit habenas
  Dignorum in fidas ponere jure manus.
Summa tenet dignus ; subito deponitur omnis
  Improbus , et factis Lege luenda luit.

Hic miseri voces, Patris, Viduaeque, Pupilli
Audiat ut, cunctis illico mitis adest.
Hic scriptis fusas inopis, puerique, potentis
Accipit, et servat cum bonitate preces.
Sol oriens veluti valles, et culmina montis,
Prataque tot radiis lumine cuncta replet;
Hic etiam nostras veniens Fernandus ad oras,
Dum pellit tenebras, omnia luce micant.
Hic cito dat multis, quae sunt quaesita per orbem,
Destruit, aedificat, quae reparanda putat.
Parthenope felix, Fernando Rege Secundo,
Prospera semper eris, prosperitate fruens.
Trans mare pelluntur fraudes, abjectio, questus,
Saturni quoniam Regna redire vides.
Nos decet idcirco duplices ad sidera palmas
Tendere, et argutum tollere ad astra sonum.
Summa Trias, annos concedas vivere centum
Fernando Regi, qui bona tanta facit.
Dirige Tu gressus Fernandi Regis in omne,
Ac Illi tribuas omnia pace frui.

Datum Laquedoniae III. Kalendas junias,
Anno Domini MDCCCXXXIV.

FERDINANDI SECUNDI ,

PEREXCELSI UTRIUSQUE SICILIAE REGIS ,

NEONATAE INCLYTAE PROLI, NEAPOLITANIQUE SOLII

OPTIMAE SPEI ,

ROCHUS CANONICUS DE GREGORIO

A LAQUEDONIA PRINCIPATUS ULTERIORIS ,

OECONOMICAE REGIAE SOCIETATI ADDICTUS ,

VENERABILIS CIRINIOLAE SEMINARII RECTOR ,

ET ELOQUENTIAE PROFESSOR ,

PUBLICIS GAUDIIS PERFRUENDIS , IN SUI OBSEQUENTIS

ANIMI MONIMENTUM

HOC LYRICUM CARMEN

D. D. D.

ODE

Astrum refulget prospere : clarius
Phoebea Lampas nunc tenebras fugat :
It laeta nobis , et per Orbem
Clara dies , et amica valde.

Ad sidus Evax laetitia ferunt
Regnum hoc colentes , et geticas Plagas ,
Siccum Solum , quod Nilus Amnis ,
Fortiter exuberans , inundat.

Proles in auras Principis Inclyti
Nunc prodit , almi Sanguine , moribus ,
Virtute pura , qui meretur ,
Sceptra regat Dominator Orbis.

Parens Avitis Regibus editus,
Quos scripta dicunt immeritos mori,
Et nominis famam celĕbrat
Omnis Arabs, populusque Serum.

Abominati trans mare ponticum
Mores aguntur: fraena licentiae
Injecta cernis: regnat alma
Relligio, Pietas, Fidesque.

Advincit omnes unus Amor, fores
Clauduntur arctis, hoc Duce, clavibus
Iani: suis subter secundis
Auspiciis populi quiescunt.

Christina Conjux moribus integris
Intaminatis fervet amoribus;
Remota fastu odit Superbos:
Sardiniae Soboles beata! . . .

Si vera Flaccus carminibus suis
« Fortes creantur fortibus, et bonis; »
Virtute sollers aemuletur
Hic puer egregios Parentes.

O Nate, salve! Sis populis decus:
O Nate, crescas, alite dextero:
Praebebit aures ad precantŭm
Verba Deus, removens pericla.

Iustum, ac honestum, candida veritas
Parentis adsit Principis optimi
Ex hoc; et artus stringat urgens
Vera fides niveis lacertis.

O Nate, salve ; Maxime Principum,
Omen fidelis suscipe subditi :
Ubique cuncti dent ovantes
Rite Tibi meritos honores.

O Nate, vivas prosper in omnibus:
A Te procul sit saeva necessitas
Per saeclum, et ultra : dent benigne
Fata Tibi melius futurum.

Ex venerabili Ciriniolae Seminario XIV. Kalendas Februarii, Anni MDCCCXXXVI.

LAPIS MARMOREUS,
LAQUEDONIAE ERECTUS AUCTORIS EXPENSIS,
IN MONUMENTUM VIRTUTUM EXCELLENTIUM
FERDINANDI SECUNDI,
UTRIUSQUE SICILIAE REGIS BENEFICENTISSIMI.
D. O. M.

Vulturis ad Valles, dum Assumptae festa parantur,
Ennosigaeus hians moenia cuncta quatit.
At Rex Fernandus, miseratus corde ruinas,
Quassatas Urbes providus ecce petit.
Primus adit curru, nova lustrans strata viarum,
Et jubet, ut subito perficiatur opus.
Hos juvat; his loquitur; disponit multa potenter,
Dum Pius hos populos ore micante beat.
Haec Urbs incolumis, qua transït, carpsit honores,
Et Regi plausus officiosa dedit.

Postridie Idus Septembris, Anno reparatae Salutis
MDCCCLI.

ROCHUS DE GREGORIO
A LAQUEDONIA,
EPISCOPUS SANCTI SEVERI,
AD POSTEROS.

Sub Imagine Beatae Mariae Virginis
Sub titulo Arcus venerata

Foederis est signum, quo nomine diceris, Arcus:
Arcus umbra Tui nos tegat, alma Parens.

FERDINANDO SECUNDO
UTRIUSQUE SICILIAE REGI PIENTISSIMO,
INQUE POPULORUM BONUM UTILITATEMQUE
SEDULO INCUMBENTI,
PRO FAUSTISSIMA CELEBERRIMI NEAPOLITANI,
NAVALIS INAUGURATIONE
ROCHUS DE GREGORIO
SANCTI SEVERI EPISCOPUS, ET EQUES REGALIS ORDINIS
FRANCISCI I.
IN SUI GRATI ANIMI MONIMENTUM, DEVOTIONEMQUE
D. D. D.

Providus, atque Pius, Fernandus quolibet anno
Egregium facinus mandat ad Historiam.

Adfuit Hic populis, se angentibus Ennosigaeo;
Commoda nunc Nautis comparat innumera.

Melchisedech annos vivat!... Magnalia nostris
Fastis ter centum facta notanda, putes.

Miretur plaudens Serus, miretur et Indus;
At nostris votis annuat Ipse Deus.

XVIII. Kalendas Septembris, Anno partae Salutis
MDCCCLII.

FERDINANDO SECUNDO
UTRIUSQUE SICILIAE REGI BENEFICENTISSIMO,
REGNI PROVINCIAS PATERNO AFFECTU PERLUSTRANTI,
ROCHUS DE GREGORIO
SANCTI SEVERI EPISCOPUS, ET EQUES REGALIS ORDINIS
FRANCISCI I.
ADMIRATOR
L. A. D.

Principis in populos pietas, et pectus anhelans,
Non patitur, miseros sustinuisse mala.

Motibus afflictis Terrae, qui Vulturis agros
Exercent, semper curat adesse pius.

Prospexit Nautis; large succurrit egenis;
Ore prius Calabros, hinc Siculosque beat.

Donatur vita plectendus morte, revertit
Exul; sons poenas mitius inde luit.

Tempora Trajani; et Titi, Saturnia Regna,
Parthenope felix, currere rite vides!...

Fernandum fauste per saecula ducere vitam,
Det Deus, et Regnum sospite Rege frui.

Datum Sancti Severi Kalendis novembribus
Anno partae Salutis MDCCCLII.

Sub Imagine Beatae Mariae Virginis
sub titulo Pacis venerata.

Sub titulo pacis colimus Te, Virgo, Fideles:
Tu prece fac pacem det Deus, Alma Parens.

FERDINANDO SECUNDO

UTRIUSQUE SICILIAE REGI VERE PATRI AMANTISSIMO,

IPSIUS NATALITIA RECURRENTE CELEBRITATE,

ROCHUS DE GREGORIO,

EPISCOPUS SANCTI SEVERI, ET EQUES REGALIS ORDINIS

FRANCISCI I.

IN SUI DEVOTIONIS, ET OBSERVANTIAE SIGNIFICATIONEM

D. D. D.

Filius in Patrem sincero flagrat amore,
Et motus effert cordis, in obsequium.

Vertitur alma dies, albo signata lapillo,
Qua fauste Princeps nasceris egregie

Relligio Te, cana Fides, Pietasque, Pudorque,
Et studium stringit Gentis in auspicium.

Consilio pacis Dominus Te donat, et aequi,
Qui nos felices, Teque perenne facis.

Praemia virtutum Tu carpas omne per aevum;
Prosper sis centum Lustra, benigne Pater.

Datum Sancti Severi, postridie Nonas januarias,
Anno Domini MDCCCLIII.

Super Horologium

Tempora non sentit; Tempus metitur at istud;
Perdocet ac hominem Tempore rite frui.

Item

Si tempus signo, tempus meditare: quod extat;
Quod fuit, et quod erit, possidet omne Deus.

FRANCISCO BORBONIO
MAGNANIMI FERDINANDI SECUNDI,
UTRIUSQUE SICILIAE REGIS,
VERE F. A. P.
INCLYTO, ET OPTIMAE SPEI PRINCIPI PRIMOGENITO,
ONOMASTICA FAUSTISSIMA RECURRENTE CELEBRITATE,
ROCHUS DE GREGORIO
SEVEROPOLITANUS EPISCOPUS, ET EQUES REGALIS ORDINIS
FRANCISCI I.
IN SUI OBSEQUII, GRATIQUE ANIMI MONIMENTUM
L. A. D.

Principis excelsi, nostri qui gloria Regni,
Et spes est, Nomen personat hocce die.
Si Pia Mater erat, Genitor virtutis et instar,
Optimus, atque Pius prosperē Natus erit.
Hinc plaudunt Populi, festum solemne colentes;
Et Patri, et Genito fausta precantur. Io! . . .
Suscipiat Dominus, quae fundunt pectore ab imo,
Largitumque sinat, quod sua vota petunt.

Datum Sancti Severi IV. Nonas Octobris
Anni a Christo MDCCCLII.

Sub Imagine
Sancti Joannis Baptistae Praecursoris.

Sanctior est cunctis, nam Christus Matris in alvo;
Virginis ex alvo sanctificavit eum.
Post Domini Matrem conceptam, labe remota,
Majorem reliquis hunc venerare pius.

MARIÆ CRISTINÆ
NEAPOLITANI REGNI REGINAE PEREXCELSAE,
OMNIUM LUCTU, SINGULTU, DOLORIBUSQUE
INEFFABILIBUS JUSTIS IN SOLVENDIS.

ELEGIA

Quandoquidem Regem populis, CHRISTINA, dedisti,
Gaudia laeta fluunt; Musaque nostra canit.
Te quoniam fato correptam nuntiat Orbi
Fama, Tibi lacrymas fundere quemque vides.
Et lacrymae semper lacrymis augentur ab ipsis;
Occidit (heu pietas!..) Inclyta nostra Parens.
Sardiniae Soboles traxisti sanguine mores,
Flos virtutis olens, veris amoena rosa.
Integra Tu vitae, vitioque remota refulges,
Vanaque dum spernis, Relligione pia es.
Nec dubium; quoniam sunt facta probantia dictum,
Luce quidem Phoebi lucidiora satis.
Sanguine praeclari, virtute, ac moribus Uxor
FERNANDI Regis, pax, et amica quies.
Virginis, et nuptae, viduae, genitore carentis,
Pauperis, et miseri dulce levamen ades.
Voces, et gestus moderatio frontis, et oris
Iustar Matronis omnibus esse solet.
Non pudibunda trahit saltans per pulpita vestem,
Tu cohibens luxum, das pudibunda modum.

Per Te servatur mortis damnatus, et exul
Liber; et est poenis abbreviata dies.
Deseris (infelix! . . .) Tu nos melioribus annis:
Proh dolor! heu! fletus dicere plura vetat.
Virtutem quoniam servasti pectore semper,
Immortalis erit gloria, fama Tui.
Gens devota Tibi, lacrymas quas fundit, habeto
Coelica Regna petens: sic Tua Fata sinunt.
Coelicolas inter meritos Tu carpe triumphos,
Ingeminans meritis proemia digna Tuis.

Ex Venerabili Ciriniolae Seminario
Pridie Nonas Februarii,
Anni MDCCCXXXVI.

IN QUATUOR FERETRI LATERIBUS,
DUM FLEBILI REGINAE NOSTRAE MORI IMMERITAE
MARIÆ CRISTINÆ
SUPREMA FERUNTUR
IN CATHEDRALI ECCLESIA LAQUEDONIAE

I.

Quisquis es, huc adsis lacrymis urgere sepulchrum;
Quae tibi Mater erat, morte perempta cadit.

II.

Discite Mortales: licet Haec, florente juventa,
Dotibus egregiis praedita, fata subit.

III.

Lustrat et Hesperios Tua gloria, lustrat Eoos,
Lustrat et hanc Urbem, quae Tibi justa facit.

IV.

Praemia virtutum carpens, Regina, quiescas;
Pro Te suscipiat votaque nostra Deus.

Addictissimus Subditus
Rochus Canonicus de Gregorio.

MARIAE THERESIAE AUSTRIACAE,
PERINCLYTAE REGIS NOSTRI **FERDINANDI II.** CONJUGI,
REGINAE BENEMERENTISSIMAE
FAUSTISSIMA INEUNTE IPSIUS NATIVITATIS CELEBRITATE,
IN QUA ABELLINI THELEGRAPHUM ELECTRICUM SOLEMNITER
INAUGURATUR,
UT EADEM QUOQUE DIE, LICET ANNI NON EIUSDEM,
INIBI HORTUS BOTANICUS
FELICISSIME FUIT BENEDICTUS,
ROCHUS DE GREGORIO SEVEROPOLITANUS EPISCOPUS,
EQUES REGALIS ORDINIS
FRANCISCI I., ET
PROVINCIAE PRINCIPATUS ULTERIORIS OECONOMICAE REGIAE
SOCIETATI VIGINTI ABHINC ANNIS ADDICTUS,
PUBLICIS GAUDIIS PERFRUENDIS
IN SUAE DEVOTIONIS, ET FIDELITATIS MONIMENTUM
L. A. D.

EPIGRAMMA

Urbibus in Regni plaudunt, Regina, furenter;
  Ortum quisque studet condecorare tuum.
Ut Conjux, satagis felices reddere Gentes:
  Quisquis in obsequium est, quisquis in officium.
Hocce die quondam plantae sacrantur in Horto,
  Doctus ut inspiciat quidquid in arte juvet.
Viribus Electri nunc longe scribitur uno
  Tempore, quod sacrum est, hoc redeunte die.

Regis Opus, qui consuetus Magnalia Fastis
  Addere, Magnificus magnificare studet!

Vivite felices, Rex, et Regina, per aevum!
  Vobis, et nobis prospere prospicite.

Iter agens, et Abellino pertransiens, composuit Auctor

Pridie Kalendas sexstiles
Anno Reparatae salutis MDCCCLIII.

PIO PAPAE NONO

ROCHI DE GREGORIO

SANCTI SEVERI EPISCOPI, ET EQUITIS REGALIS ORDINIS FRANCISCI I.

HIERONYMO DE ANDREA,

NEAPOLITANO,

IURE, MERITOQUE CARDINALE PRESBYTERO RENUNTIATO,

GRATIARUM SIGNIFICATIO,

O Pie, dum pietate nites, pietate videris
Inque malos clemens, munificusque bonis.
Integer at vitae, vitioque remotus, ab Alto
Iustitia notum prosequeris meritum.
Si juste Justo debentur praemia justa,
A Justo Justus praemia justa capit.
De Andrea meritum, quem murice rite decoras,
Plausibus innumeris noscit uterque Polus.
Hinc inter grates, quas omnes jure rependunt,
Suscipias nostras, Maxime Pontificum.

Datum Sancti Severi, Idibus Maji
Anno MDCCCLII.

PROSPECTUS, ET ORIGINIS
CELEBERRIMI FONTIS ROMAE TREVI NUNCUPATI
GRAPHICA DESCRIPTIO.

DISTICON.

Neptunum curru cernas Tritonibus actum
Inventas liquidas Virginis inter aquas.

Romae XII. Kalendas Quintilis
Anni MDCCCXLIII.

Rochus Canonicus de Gregorio
A Laquedonia
Electus Episcopus Sancti Severi

EXCELLENTISSIMO MARCHIONI,

DOMINO FRANCISCO XAVERIO DE ANDREA,

MAGNAE CURIAE RATIONUM PATRONO GENERALI,

A SUMMO PONTIFICE **PIO NONO**

ORDINIS CHRISTI INSIGNIBUS INGENUE DECORATO,

ROCHUS DE GREGORIO

SANCTI SEVERI EPISCOPUS, ET EQUES REGALIS ORDINIS

FRANCISCI I.

NECESSITUDINIS ERGO BENEVOLENTIAEQUE

L. A. D.

EPIGRAMMA.

Multiplicata Domi fumosa refulget Imago,
At praestat Virtus Nobilitate magis.
Utraque certantes in Te, Tibi nobile Nomen
Inflectunt, populi cordis et officium.
Gratia Pontificis merito Te cingit honore;
Nam percrebrescens undique Fama Tui est.
Fata Tibi meliora ferant, annosque, salutem,
Dum Virtute viges, Nobilitate vales.

Datum Sancti Severi VI. Idus Novembris,
Anni a Christo nato MDCCCLII.

SUBTER EFFIGIEBUS

PEROPTIMORUM MARCHIONUM **DE ANDREA**,
GENITORIS DEFUNCTI ET FILII
FAUSTE VIVENTIS.

Et Patris, et Geniti Tibi nunc monstratur Imago,
Ambarum quaenam gratior esse patet?

Responsum nullum! datur haec sententia Nobis:
Utraque mirandum continet Effigies.

Nobilis at primi (sis voti) fama Nepotes
Excitet, Heroum digna, patranda sequi.

Alterius vita nobis benefacta redundent,
Fontibus a liquidis manat ut unda suis.

MDCCCLII.

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO
HIERONYMO EX NOBILISSIMIS MARCHIONIBUS **DE ANDREA**,
PERINCLYTO MILITENENSI ARCHIEPISCOPO,
BENEMERENTISSIMO CIVI NEAPOLITANO,

A PIO PAPA NONO

PRO SUIS EGREGIIS DOTIBUS INTER S. R. E. CARDINALES
JURE COOPTATO,
ROCHUS DE GREGORIO
SEVEROPOLITANUS EPISCOPUS, ET EQUES REGALIS ORDINIS
FRANCISCI I.
EX ANIMO JUCUNDISSIME GRATULATUR

EPIGRAMMA

Tempore difficili sancte commissa tueris,
  Navus et apprime fungeris officio.
Praeclarum facinus prudens hinc inde patrasti,
  Majorum gestis actus ab innumeris.
Murice nunc tectus, Majoribus addis honorem,
  Nobilior splendens nobilitate laris.
Lumine sic lumen fulgescit multiplicatum,
  Clarius evadens Sole micante Polo.
Virtuti Virtus Virtutis praemia donat,
  Semina centuplicans, glorificanda domi.
Radices egit prorsus: florebit abunde
  Gentis et in sera prospere Progenie.
Clara fuit; clare vivit; clareque resultet
  Ex hoc post hominum fata, probante Deo.

Datum Sancti Severi, Octavo Kalendas Sextilis
Anno partae Salutis MDCCCLII.

SUBTER EFFIGIE
EMINENTISSIMI CARDINALIS
HIERONYMI DE ANDREA,

DISTICON.

Actibus, ore gravis, pulcher venerandus, amoenus,
Murice magnificus, nobilis ingenio.

EXCELLENTISSIMO VIRO,
MARCHIONI **JOANNI DE ANDREA**,
EQUITI PRIORI ORDINIS HIEROSOLYMITANI,
CUIUS MEMORIA,
PRO VIRTUTIBUS NON COMMUNIBUS,
IN BENEDICTIONE EST,
ROCHUS DE GREGORIO
EPISCOPUS SEVEROPOLITANUS,
ET EQUES ORDINIS FRANCISCI I.
IN SUAE OBSERVANTIAE SIGNIFICATIONEM
ERGA NOBILISSIMAM IPSIUS FAMILIAM,
HOS ELEGOS QUALESCUMQUE
D. D. D.

Editus ex Atavis, quorum perspecta refulget
In Nato bonitas, sanguis et ingenuus.
Hunc Rex Fernandus Sacrorum jure Ministrum,
Et Regni rerum praeficit egregium.
Relligio, pietas, et cana fides populorum
Aeternum cineri comparat obsequium.
Patronum Natum rationum Curia primum,
Pro fama, et meritis, vindicat esse sibi.
Murice, et officiis decoravit Papa Secundum,
Qui bonus, atque merens gloria nostra nitet.
Prosperitate dies ducant in tempore Nati:
Vivet et aeternum Nomen in orbe Patris...

Kalendis Octobribus, anno Partae Salutis MDCCCLIII.
Sancti Severi.

Portentum permanens Atellae conspiciendum
Post Terremotum in Sextile ,

Anni a Nativitate Domini MDCCLI.

Virginis Assumptae festum solemne paratur ;
Motibus at Terrae moenia sacra ruunt.
Restitit hic murus : populis apparet imago ;
Symbola , quae monstrat , verificata vides.
Urbes vicinae penitus quassantur ab imis ;
Extat at incolumis Patria nostra tamen.
Praesidium Atellae Populi , columenque , salusque,
Virgo , nos semper commiserata fove.

Devotionis ergo ,
Rochus de Gregorio Episcopus Sancti Severi
Scripsit.

APPARITIO SACRI SEPULCHRI IN COENA DOMINI
IN CATHEDRALI ECCLESIA SANCTI SEVERI.

Damnatur mortis, mortem qui morte trucidat,
Donet et ut vitam, subditur ecce neci.

Item.

Sanguinis effundit guttas dum Christus in horto,
Ipsum confortans Angelus ecce venit.

Item.

Mors, et amor pugnant; tanto certamine victor
Quisne erit? extincta morte, triumphat amor.

Item.

Iurgia dum pateris, spinis Te, Christe, coronant,
Et Tibi pro sceptro vilis arundo datur.
Murice gens lacero vestit, Regemque salutat
Illudens; caedit, flectit ed inde genu.

Sub Imagine Sanctissimi Cordis Jesu

Dulcis amor nobis Te cor praebere coegit;
Nos Tibi jure facit cor dare dulcis amor.

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO ANTONIO CAPPA,

ORDINIS CONSTANTINIANI EQUITI BENEMERENTISSIMO,
ET JURIS PERITO CELEBERRIMO,
IPSIUS CONSUBRINAE SORORIS NATUS OBSEQUENTISSIMUS,

ROCHUS DE GREGORIO

SANCTI SEVERI EPISCOPUS, ET EQUES REGALIS ORDINIS
FRANCISCI I.
IN SUAE SUMMAE REVERENTIAE, GRATIQUE ANIMI
SIGNIFICATIONEM,
D. D. D.

ELEGIA.

Nobilis Antoni, mihi dulcis Avunculae, et alme
Tutor ab unguiculis, Rector in omne bonum:
Te colui Patrem; sum Te veneratus, et optans
Esse Tuae docilis vocis ad imperium:
Quae potui, didici; Tua sum documenta sequutus:
Immeritosque gradus tradidit inde Deus.
Sum memor, et gratus; grates hinc suscipe comis;
Versibus et dicam quae Tua vita fuit.
Editus ex Atavis, Themidos florentibus arte,
Quos docte doctos Docta Minerva tulit.
Gloria Majorum longinquis, unde redundat,
A saeclis cingit Te generosa caput.
Aetatis quatuor peragis dum lustra, senectus
Te decorat morum, mentis et egregiae.
Famosi Pubes sectans vestigia Patris,
Munere suffectus fungeris Ipse suo.

Prospicis hinc Patriae Legis Consultor egenti
  Rebus in adversis, sartaque jura facis.
Quilibet oppressus tutamen forte requirit
  In Te, et Tu sollers dulce levamen ades.
Romuleis sat compertum est, quae gloria nostris
  Finibus eluxit, Te recolente Lares.
Gens Tua, Tu cultor FERNANDI REGIS Avorum,
  Ipsius, et Patris, semper in obsequio ...
Majorum, atque Tuis meritis donaris honore
  Constantini Equitis, nobilitatis amans.
Rite Magistratus hinc certans munere fungi,
  Iustitia fulges, integritate, fide.
Deseris istud iter male sanus quippe salutis,
  Majoresque datos spernis inire gradus.
Parthenopemque colens, Loca circum grata Vesevi,
  Palladis, et Themidos impigre jura foves.
Classicus in manibus versatur nocte, dieque,
  Inque Foro peragens, Tullius ecce loquens.
Noctes, atque dies patet omni Janua Tecti,
  Ut Te consultum quisquis adire queat.
Turmatim currunt miseri, Viduaeque, Pupilli,
  Quos Tu tutaris Patris amore Pius.
Antistes, Urbes, titulis qui Clarus, et agri
  Cultor, Patronum Te cupit esse suum.
Te noscit Princeps; summo reputaris honore
  Quolibet officio, dum reverendus ades.
Lustra senectutis non frangunt usque frequentem
  Arte laborantem Palladis, et Themidos.

Quaque die caussas defendis navus, et Urbis
Tu referens plausus, improbus arguitur.

Gloria Te cingit, qua sic Majoribus addis
Hinc decus, atque Tuis, qui Tua gesta vident.

Inclyte, si verum est, quod vulgo fertur ubique,
Quod sit mors qualis vita peracta fuit:

Gloria viventem Te sustulit inter honores,
Gloria spirantem tollet ad Astra Poli.

Datum Sancti Severi Quarto Idus januarias,
Anno partae Salutis MDCCCLIII.

Qualis vita, finis ita.

Si juste vives, justus morieris: inique
Si vitam duces, finis iniquus erit.

EXCELLENTISSIMO COMMENDATORI,

CAJETANO PECCHENEDA,

EXIMIO RERUM REGNI POLITICARUM IN PRIMIS

ADMINISTRATORI

EXTREMO MORBO LABORANTI, ET INDE SANITATI RESTITUTO,

ROCHUS DE GREGORIO,

SANCTI SEVERI EPISCOPUS, ET EQUES REGALIS ORDINIS

FRANCISCI I.

NECESSITUDINIS ERGO, BENEVOLENTIAEQUE

L. A. D.

EPIGRAMMA

Elevat Omnipotens dextram, qua fulmina mittat;
Placatus precibus, sustinet inde manum.

Cajetane, quidem naturae jura subire
Cogeris; et morbi vis tua fata premit.

Vota tamen nostri, quibus es Director, Amicus
Ordinis, et pacis, percipit aure Deus.

Vincitur hinc morbus; redeunt viresque, salusque;
Evax! . . . vive diu, prospera cuncta fruens.

Datum Sancti Severi VII. Idus Octobris
Anno MDCCCLII.

His scriptis, infaustus mortis nuntius pervenit, et in amaritudine prosequitur Auctor

Me miserum! Heu! perhibent, quod vitae stamina rumpit
Atropos atra Senis; laetitiamque fugat . . .
Lugentes, cineri ingrato suprema feramus,
Dum mens, dumque manus victa dolore, cadit . . .

IV Idus Octobris.

MICHAELI LANZETTA,
URITANO NUPER EPISCOPO,
IN HANC LAQUEDONIENSEM CATHEDRAM EVECTO,
MORUM INTEGRITATE, SCIENTIARUM CULTU, APOSTOLICOQUE ZELO,
NULLI SECUNDO,
ROCHUS CANONICUS DE GREGORIO
VARIARUM SOCIUS ACADEMIARUM,
UT INCLYTI PRAESULIS LAUDES, NOMENQUE POST HOMINUM FATA
PERSEVERET
HOC CARMEN IN SUI OBSEQUENTIS ANIMI MONIMENTUM
D. D. D.

ECLOGA

Mopus, et Coridon.

Mop. Quo pergis, Coridon? illic viridantia cernas;
Gramina non aliis gregibus sunt tacta: petamus;
Ducemus nostras hodie per prata capellas
Ambo simul; sero, pastis, ad ovile redibis.
Cor. Gaudia laeta fluunt, o dulcis Mopse; Magister
Major adest pecoris, nobis a Numine missus:
Exultant cuncti; laetantes pectore promunt
Dulcia, carminibus miscentes gaudia cantu.
Mop. Evax!... Sorte tui mecum de valle reducta
Gaude, quae pluvios ventos, ignemque repellit

Aestatis : cythisum carpunt dum flore capellae ;
Fistula dum resonat, cantemus laeta sub umbra.
Cor. Incipe festivos Pastori dicere versus ;
Me moderante sonum, sociabitur ista cicuta :
Postmodo tu calamos inflabis, carmina dicam
Hinc Ego ; sic laeti pascentes festa colamus.
Mop. Te decet ordiri ; nam major ; sidera tangat
Vox tua ; dum cantas, molli sedeamus in herba :
Dicito, Pastori nostro praecordia pandens ;
Cor labiis esto, et nos subjiciemus amanter.
Cor. Iamque tibi gratum sonitum dat fistula multum,
Fistula pulchra nimis, quam Pan conjungere cera
Instituit, placuitque mihi concedere donum :
Alternis laudes dicemus versibus ambo ;
Incipe dulce melos ; resonabunt flumina, colles.
Mop. Sedibus e Lyciis adsis Pataraeus Apollo ;
Digna Viro Comis concedas promere cantu :
Delphica dona feras tecum, quo tempora nostri
Pastoris tanti valeas circumdare sertis.
Cor. Tu, Pimplea, mihi faveas, et praecipe cantum ;
Namque nihil prosunt, vestro sine numine, versus :
Floribus apricis Pastori necte coronam ;
Necte simul lauros, et multas ordine myrtos.
Mop. Ruribus ex aliis clarum venisse videmus
Heroem emunctae naris, virtutis et instar:

Non sibi ; sed nobis vivet , gregibusque tuendis ;
Utile cum dulci miscens , feret omnia puncta.
Cor. Aures propitius binas praebebit egenti :
Dulce levamen erit , dum lactis ovile redundet:
Vellera multa dabit recte grex pastus ubique ,
Et binos edent pecudes per gramina foetus.
Mop. Turpe fugit vitium , dum Pastor sedulus iste
Verba sui faciet, nobis praebentibus aures :
Insidias pecori nunquam conflabit iniquus
Arte lupus ; stabulis multum tremefactus abibit.
Cor. Rivulus ut serpens virides descendit in herbas ,
Integer atque suis animat viridaria Lymphis ,
Praesulis istius virtus transibit in omnes ,
Imbuet , et prudens faecundet semine vocis.
Mop. Intemerata fides, verum, pietasque , pudorque ,
Iustitiaeque decus vitam comitabitur Hujus :
Moribus , exemplo , studiis , Hic divite censu
Consilii , ac mentis , nobis virtute praeibit.
Cor. Hostis cernetur furiis jactatus , et oestro
Mitior hic agno jussis parere paratus :
Omnis pace fruens recti , pacisque Minister
Omni erit ; stabulis omnisque timore carebit.
Mop. Dissidium , squalor , strages , incendia , virus
Hic non luxurient ; positis cervicibus altis ,
Immo petent taciti certo libramine pacem :

Ad plenum cunctis cornu sine fine benigno
Copia multa nimis manabit ovilis honorum.
Cor. Omnibus una quies animo, labor omnibus unus:
Si sontes, aeque poenae, gemitusque sequentur;
Si recti, large virtutum praemia carpent;
Sedulitate simul crescet grex cultus in omne.
Mop. Pandorae pyxis nunquam reserabitur atra;
Quin procul a tuguris stricte reclusa manebit:
Florida per campos pacem portendet oliva;
Festa Palis suberunt; multos mactabimus agnos.
Cor. Baccare cingemus sollertes tempora, plantas;
Lumina ne Circes noceant male fida Parenti.
Ilia rumpantur contra cupientibus Istum;
Et mala, quae cupient, Patri sint prospera semper.
Mop. Non ita Dardanidae signum fatale Minervae;
Diruta nec Cypris carum post Pergama Natum;
Non ita Tarquinius Libros, arcana Sibyllae;
Nec Numa servavit vigilans ancile repertum,
Ut nos Pastorem gnavi curabimus Istum.
Cor. Sentiet ante polus, Cererem quo fundat, aratrum;
Sideribus multis haec Tellus picta coruscet;
In flammas Neptunus erit, Vulcanus in undas,
Pectore quam nostro fugiet Pastoris imago.
Mop. Ante leves pontum cessabunt findere pisces;
Cernetur sonipes per campos ire liquentes;

Ante vagae volucres deerunt volitare per auras,
Quam suus e nostro labatur pectore vultus.
Cor. Omnibus in Terris Cereris dum munera vivunt;
Laetificat populos pergrato Nectare Bacchus;
Luminibus Noctis tribuit dum Pallas honores,
Pastor sit felix, et nostros dirigat actus.
Mop. Orbem dum Phoebus foecundo lumine replet;
Pulchra Diana micat nocturno tempore Coelis;
Roscida Titanis post noctem Nata refulget,
Pastor sit gaudens, extis, avibusque secundis.
Cor. Dum Fratres Helenae Nautis dant signa vicissim;
Silvanus ruri praeerit, Phoebusque Camoenis,
Pro Se ferventes iterumque, iterumque precemur:
Mop. Suscipe vota Deus: *Cor.* Pastor per saecula vivat,
Mop. Prospera cuncta fruens; *Cor.* Et nobis consulat alte;
Mop. et *Cor.* Vivat in aeternum Pastoris gloria tanti.

Datum Laquedoniae XII. Kalendas Aprilis

Anni MDCCCXXXIV.

SUB EFFIGIE EXCELLENTISSIMI, AC REVERENDISSIMI
DOMINI **MICHÆLIS LANZETTA**
EPISCOPI LAQUEDONIENSIS

Hic MICHAEL LANZETTA fuit; Laquedonia, Praesul,
Qui Te dum rexit, fortis, et almus erat.
Lancea qui vitiis, meriti promotor, et arma;
Auctor Ephebaci; pauperis usque Pater.

A. D. MDCCCXLVIII.

EXCELLEMTISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO,
MICHAELI LANZETTA
LAQUEDONIENSI EPISCOPO VERE PATRI,
HOC PRIMUM IN HAC CIVITATE SEMINARIUM INAUGURANTI,
ROCHUS CANONICUS DE GREGORIO
EJUSDEM SEMINARII RECTOR, ET ELOQUENTIAE PROFESSOR,
SUAE JUCUNDITATIS TESTES, ANIMIQUE GRATI,
HOS ELEGOS
D. D. D.

ELEGIA

Laetitia exsultans huc, omnis Civis, adesto;
  Explicitam frontem ferte, juventa, satis.
Omnia sollicitus detergit nubila Phoebus,
  Nunc Io laetitiae, nunc dare signa decet:
Iuppiter iratus jamjam sua fulmina torquet;
  Quod juvenes doctam non coluere Deam.
Ardens Vulcanus Cyclopos ferre sagittas
  En jubet; est praesens rite Ministra Jovis.
Ipsa Minerva furens vertit sua terga juventae,
  Invidet, et praeceps haec loca nostra fugit.
Interpres Divum Divos haec dira minantes
  Sentit, et occurrens, talia voce refert:
Non decet, hanc Urbem torqueri: imponere fraenum
  Est opus, et rectam carpere quemque viam.
Indoctus, ratione carens, quadrata rotundis
  Miscet, per vetitum dum sine mente ruit.
Abreptus ventis vitiorum comparat ipsi
  Omne malum, populo perniciemque suo.

Sunt juvenes dociles: prudens est Praesul abunde:
Sistite uterque gradum; ponite uterque minas.
Eja, juventa, tenes Patrem, quem corde petisti,
Aurum spernentem, sollicitumque tui.
Integer est vitae, vitioque remotus ab omni,
Moribus ingenuis, Palladis arte potens.
Ipse bonos sollers tutatur saxa, per ignes,
Cujusque et meritum pectore semper habet.
Commoda non curat: vestri cultura videtur
Esse sui studium; cedit et inde Domum.
Immemor atque sui, vos omnes mente revolvit,
Quos juvat auspiciis, praesidioque pari.
Hic bene dum Christi Sponsam defendit, et ornat,
Consilio, et monitis omnibus instar adest.
Nulla erit in vobis quae turbet cura quietem,
Dum morum, et studii corripietis iter.
Virtutes, vitiis pulsis, vos quippe coronent,
Hujus et illustris Praesulis umbra teget.
Dulcibus his dictis, campis florescit oliva:
Fervet opus studiis; omnia laeta manent.
Inclyte Praesul, ave! Tu nostros dirige gressus;
Melchisedech vitam det Tibi dona Deus.
Si nos prosequeris dulci Genitoris amore;
In Te noster amor cogitur esse tenax.
Nos erimus celeres jussis parere parati:
Quaeque voles fient legibus usque Tuis.
Aequoris in lucos pisces gradientur ab undis,
Silvarumque feras nutriet unda maris:

Nuntiet ante polo tenebras Aurora futuras,
Solis et occasus dictet inire diem :

Horum quam populi veniant oblivia menti,
Excidat et nostro pectore tantus amor.

Fulgida donec erunt in Coelis Sidera; Solis
Machina det Lucem; Cynthia clara micet:

Radet iter liquidum volucris; per prata bidentes
Errent, sis felix, nostraque fata regas.

Aeternum vivet, Pastor, tua gloria . . . Famam
Augebit meritis haec studiosa cohors. . .

Datum Laquedoniae Idibus novembribus
Anno MDCCCXXXVI.

EXCELLENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO
DOMINO **MICHAELI LANZETTA**,
LAQUEDONIAE EPISCOPO VERE BENEMERITO,
AB URITANA SEDE HUC TRANSLATO,
QUI SUIS OMNIBUS SPRETIS,
SEMINARIUM DIOECESANUM, QUOD NUMQUAM ANTEA
EXTITERAT,
FAUSTISSIME INAUGURAVIT,
ROCHUS CANONICUS DE GREGORIO,
NOVI EIUSDEM SEMINARII RECTOR, ET ELOQUENTIAE
PROFESSOR,
IN OBSEQUIUM
D. D. D.

CARMEN

Iudicio Paridis Teucris infesta Minerva,
At studiosa suis, absentis Ulissis ad artes
Eduxit Puerum per multa pericla decoras.
Aeternum virtutis opus, memorabile semper ! . . :
Quam stetit incolumis ! queis dives Ionia campis
Floruit industris ! quibus artibus ipsa micabat ! . . .
Ruris opes laete; foecundaque munera terrae;
Doctrina, cultu, tectis, templisque, fideque,
Vicerit ut famam virtutibus inde referta.
Tunc Ithacam linquens, pergrato fulta labore;

Lanzetta ad cunas vertit sibi pectore curam;
Ac prius, Heroem nutriens de lacte pudico,
Instituit pietate Virum , sanctoque pudore;
Moribus, exemplo, studiis , ac divite censu
Consilii, et mentis magnos sollertis ad ausus.
Auspice jam Coelo, sacram exercere palestram
Incipit Hic Pubes, pulchraeque cupidine laudis,
Accendens animum verae virtutis amore,
Impiger en sequitur, quem monstrat gloria callem.
Quis neget, Hunc juvenem, vix pubertate subacta;
Impavidum, voces Docta moderante Minerva,
Omnigena plenum pectus virtute dedisse?
Quae primum Sacri Vates cecinere vetusti.
Fontibus Hebraicis subito patefacta videntur:
Argolicam callet linguam, quo lumine Patrum
Explicat indubius Grecorum vota; nec ulla
Vox erit ambiguo sensu, quae corda fatiget:
Hinc, dum praeclari currit per sidera Nomen ;
Gestaque nec patitur virtus obscura latere,
Salernum Heroem tantum Sibi vindicat: illic
Fungitur officiis primis cum laude decorus.
Ad majora Deus dignos si jure reservat,
Urien Hic Praesul meritis, non forte creatur.
Pauperis, et Viduae fit Tutor, dulce levamen;
Cernitur ac omnis multa virtute repleri.

Ignis ut admotus purgat rubigine ferrum,
Turpe fugat vitium, culpas expellit, abunde
Semina virtutum culto nascuntur in agro.
At tamen ad nostras Aedes evectus ab Alto,
Longinguo venit nostras has visere terras:
Omnibus est totus, dum cunctis consulit alte,
Immeritos dum poena trahit; dum praemia dignos.
Expertis veluti flavescunt arva Colonis,
Frugibus ac large suà replent horrea messes,
Protinus hinc uberes commissa Ecclesia fructus
Exerit, et cernis Saturni Regna redire.
Angitur at Praesul, quoniam studiosa juventus
Cursitat huc illuc, minime directa per Urbem:
Urbs caret ista domo sacra, qua possit haberi
Sacrum Collegium. Sapiens hoc mente revolvit:
Advocat hinc celeres sacros ad jussa Ministros,
Cedit et inde Lares proprios: Collecta juventus
Ista videtur heic pro more, et Palladis arte:
Quod studium sagax; recti quae maxima cura
Est illi, et sumptus quovis sermone nequibit,
Un decet, exponi; dum praestat munera Patris.
Salve, Praesul amans, fulcrum, columenque juventae!
Mascula Te virtus, niveis Te sacra lacertis
Relligio, in miseros pietas, pudibunda potestas
Amplexu retinent: Hyrpinus, et omnia jurant.

Salve, Praesul amans, Tibi grates quisque rependit;
Salve, Praesul amans, nostri pax aequa, salusque;
Salve, Praesul amans, ac Urbis gloria nostrae!
Dum facilis nostrum quisquis Tua jussa capesset,
Nobis instar eris; tua nos exempla sequemur;
Nos teget umbra Tui, gaudebimus omne per aevum.
Gloria, fama, decus, vivet per saecula clarum
Nomen in Orbe Tuum. Sic faxit Numen ab alto.

Datum Laquedoniae. Kalendis decembribus
Anno partae Salutis MDCCCXXXVI.

IUSTIS IN SOLVENDIS
ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSINO DOMINO,
DESIDERIO MENNONE,
INCLYTO LAQUEDONIAE EPISCOPO,
SUBDIACONUS ROCHUS DE GREGORIO
FLEBILEM TANTI VIRI JACTURAM
DEPLORANS, SCRIPSIT
IDIBUS APRILIS, ANNO DOMINI MDCCCXXV.

ELEGIDION.

Luctus ubique manet, Lacrymae, gemitusque patescunt;
Et fragor, et strepitus, tristia cuncta simul.
Virginis, et nuptae, Vidui, Viduaeque, novercae,
Et Patris, et Nati cernitur esse dolor.
Singultus Nobis, clerus, populusque dolentes,
Sacra peracturi, rite suprema ferunt.
Proh dolor!... Heu Pietas!... periit vigilantia, zelus,
Et decus, exemplar, noster, et Orbis honos.
Hic vigilans positus Christi pro morte redemptis
Pastor, factus Amor, pavit amore pecus;
Inclytus Antistes Sidus Mennone refulsit,
Omnibus ostendens dulce salutis iter.
Omnia fervebant: facturus cuncta libenter,
Collegium, et Templum, tantaque pulchra, Pater.
Quis poterit cunctas virtutes promere Tanti
Praesulis, ac animo quanta volutat amans?

Annum non licuit Pastori munere fungi ,
E vivis raptus , Coelica regna petit.
Urbs miseranda nimis Tanto viduata Parente! . . .
Terge pias lacrymas , fundito vota Deo :
Gaudeat ut Praesul cum Sanctis cultor Olympi ,
Et similis Pastor sufficiatur Ei.

EXCELLENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO
LEONARDO TODISCO GRANDE,
E PATRICIIS VIGILIARUM,
CROTONENSEM EPISCOPATUM INEUNTI,
INTEGERRIMIS MORIBUS, APOSTOLICO ZELO,
SCIENTIISQUE SACRIS APPRIME IMBUTO,
ROCHUS CANONICUS DE GREGORIO
A LAQUEDONIA,
VARIARUM ACADEMIARUM SOCIUS,
UT PRAECLARI PRAESULIS VIRTUTES, NOMENQUE
PROMERITIS LAUDIBUS AFFICIAT,
IN PERENNE GRATI ANIMI, OBSERVANTIAEQUE MONIMENTUM
D. D. D.

ODE

Ubique plausus; undique gaudia;
Evax resultat finibus Adriae,
Seris, et Indis: sunt ovantes
Hexperii, Gelici, Superni.

Virtute Clarum tollit honoribus
Terris in istis Numen, et optimus
Rex noster. Hinc sacrum sinistra
Sume Pedum, capite et Tiaram.

In Urbe nostra Praesulis Inclyti
Mennone prorsus rite geris vices;
Et, Sede tres annos vacante,
Omne nefas, vitiumque fugit

Te subter. Oras hinc petis exteras ;
Illic eodem munere fungeris ;
Videtur et manare cornu
Omne bonum , duce Te , benigno.

Tui remotos Aethiopes petit
Fama , ac eundo trans mare Ponticum ,
Omnes plagas hinc , atque Coelum
Laeta volans peragrat profundum.

Donata tanto Praesule Civitas ,
Virtutum abundes floribus omnibus :
Felix eris multum , et beata
Pace frui poteris perenne.

Virtutis instar legibus optimis
Perfectum ad unquem moribus instruet ;
Pagos suos sollers pererrans ,
Usque bonum , meliusque quaeret.

Compescet omnes , quos furor excitat ;
Prudens iniquos evocet a malis ;
Vestes egenis dans , cibumque ,
Tutor erit Viduae , Pupilli.

Avernus ater concidit , et tremit ,
Nec soevus unquam bella minabitur ;
Nam Praesul est promptus periclis
Se dare pro gregibus tuendis.

Gazas Hic , aurum sperniit et indicum :
Amore tantum prosequitur gregem
Valde pius , quem stringit urgens
Cana fides , pietas , pudorque.

Exornat Istum Relligio, decus,
Iustum, ac honestum, candida veritas:
Ubique cuncti dent honores
Pro meritis populi verentes.

Tu vive, Praesul, prosper in omnibus:
A te procul sint immerito mori
Infausta quaevis, et pericla
Arceat Omnipotens secundus.

Laquedoniae VIII. Kalendas novembres
Anni MDCCCXXXIII.

*

DOMINO VINCENTIO OREFICE ,
VIRO VALDE MERITO ,
BENEVENTANAE ARCHIDIOECESIS VICARIO GENERALI ,
IPSIUS CARMINIBUS PRO **PAPA**, ET **REGE** COMITER ACCEPTIS
ROCHUS CANONICUS DE GREGORIO,
A LAQUEDONIA,
HOC ANIMI OBSEQUENTIS MONUMENTUM RESCRIBENS, DIRIGIT

EPISTOLIUM

Inclyte Vincenti, Tu Phoebi, et Palladis almae
Cultor es egregius, cujus circumdare sertis
Certat uterque Caput, propriumque assumere natum.
Attulerit quantum nobis Tua Littera honoris
Hic calamus nunquam numeris haud arte valebit
Dicere. Fundo meas, quas comis suscipe grates.
Cursantes adeunt, lectum Tua carmina multi :
Missa mihi, meritum mirantes, scriptaque recte ,
Iure quidem; quoniam non sunt expertia frugis,
Ac rerum; sed ad obrussam sunt omnia mira,
Plena leporis , Io ! sunt omnia pulchra, superba,
Omnia procedunt belle, omnia sedibus apte
Quaeque reposta suis. Et quae quis dicere possit ?
Laudibus affecti Tibi dent sua praemia digna.
Quod mea vota petunt cupientis visere, tantum.

Heroem, meritis plenum, ad sublimia ferri.
Flumina retrorsum cernentur vertere cursum,
Lumine deficiens Lampas Phoebea manebit,
Sidus in obscuro tenebras vincere tenebris,
Immemor Herois tanti quam vivere possim:
Suscipias igitur felici lumine versus
Hos, licet incomptos. Facilis tua jussa capessam,
Atque libenter Ego, si tot capiantur honores
A me sim dignus. Servum experiere fidelem,
Oscula figo tuis manibus. Me corde reconde.
Antistes fias, nostrique Ecclesia detur (*).

Datum Laquedoniae Kalendis Augusti.
Anni MDCCCXXXII.

(*) *Ista Episcopali Sede adhuc vacante , suo Pastore viduata.*

EXCELLENTISSIMO COMMENDATORI,

DOMINO JOSEPHO VALIA

PROVINCIAE PRINCIPATUS CITRA PRAEFECTO

BENEMERENTISSIMO

IPSIUS NATIVITATIS, RECURRENTE CELEBRITATE,

QUA QUOQUE DIE, LICET ANNI NON EJUSDEM, REX NOSTER

VERE FELIX, AUGUSTUS, PIUS,

FERDINANDUS SECUNDUS

FAUSTISSIME IN LUCEM EDITUS FUIT,

ROCHUS DE GREGORIO

EPISCOPUS SANCTI SEVERI, ET EQUES REGALIS ORDINIS

FRANCISCI I.

NECESSITUDINIS ERGO BENEVOLENTIAEQUE

D. D. D.

EPIGRAMMA

Creditur eventus plerumque quod accidit Orbe;
At Deus in numero, et pondere cuncta facit.
Subditus, et Princeps fauste nascuntur in uno
Lumine non casu; jussit ut Omnipotens.
Et vere; quoniam Princeps, et Subditus extant
Moribus ingenuis, Relligione pares.
Hic pietate fovet populos, Suprema Potestas,
Ille Sibi Gentes dirigit arte datas.
Subditus hinc Regem veneratur, Jussa capessens;
Hunc Rex prosequitur dulcis amore Patris.

Subditus, et Princeps, Heroes unus, et alter,
Rite malum pellunt, prospiciuntque bono.
Restat, ut ambobus de Coelo fausta precemur;
Felices faciat Tempus in omne Deus.

Datum Sancti Severi Nonis januariis
Anno partae Salutis MDCCCLIII.

EXCELLENTISSIMO COMMENDATORI,
RAPHAELI GUERRA,
HUJUS PROVINCIAE PRAEFECTO BENEMERITO,
A PIO PAPA NONO
ORDINE SANCTI SILVESTRI DIGNE DECORATO,
ROCHUS DE GREGORIO
SANCTI SEVERI EPISCOPUS
ET EQUES REGALIS ORDINIS FRANCISCI I.
AMICISSIME GRATULATUR.

HEXASTICHON
EXTEMPLO MEDITATUM.

Praefectum egregium, felix Provincia, nutris,
Cujus fama volans inter utrumque Polum est.
Pontificum Summus meritum largitur honorem,
Commendatoris comiter inde Crucis.
Evax! laetitia rapior: meliora videbo,
Voti et compos ero, si potiora fluent.

Datum Sancti Severi, Idibus novembribus
Anni MDCCCLII.

AD EXCELLENTEM **DUCAM DE MALVITA**,
SANCTI ANGELI LOMBARDORUM SUB PRAEFECTUM,
IN SUAE TRANSLATIONIS OCCASIONEM,
ROCHUS DE GREGORIO
SACERDOS LAQUEDONIENSIS,
ILLI ADDICTISSIMUS,
D. D. D.

Illa dies fastis nigro signanda lapillo,
  Qua migras nostris finibus, alme Pater.
Cordibus infandam nostris encyclica curam
  Ingerit. A Patre quis procul esse potest?
Tu nova Lux, titulis columen sublime vetustis,
  Nobile dum virtus vivida pectus alit.
Et bonitas Tecum, Tecum prudentia certat,
  Clarior evadis sanguine, jure, modo.
Adversis Patriae rebus Tu prospicis alte,
  Frangit et assiduus nec tua membra labor.
Quae mala, quot lites non surrexere? benigno
  Te duce, dissidiis non fuit inde locus.
Te duce, tot sontes stridor, gemitusque sequuntur,
  Improbus et plecti quisque videtur homo.
Te duce, certamen partes diffinditur aequas,
  Et regnat nobis omnibus alma quies.
Omnia praescribunt tacito de murmure pacem,
  Urbs, fines, miles, limina, templa, domus.

Astraeae Trutina scrutans versaris, et inde
Sons poenae, pretiis innocuusque subest.

Te pietas, aequum, leges, verumque, pudicum;
Amplexu retinent omine laetitiae.

Moribus, exemplo, tandem praedivite censu
Consilii, ac mentis laude ferere tuis.

Non sic Penelope pro tanto flevit Ulisse,
Neve dedit similes victa dolore notas:

Te migrante, velut tibi gens submissa perennes
Effundit lacrymas squalida fronte, genis.

Qualis in umbrosis turtur moestissima silvis
Condolet, in nostro vertitur ore sonus.

Te, quocumque petas, infesto Numine nobis,
Gens commissa Tibi pectore semper habet.

A Te si nostri jamjam tua cura recedet,
Non cadat ex animo Gens tua fida tuo.

Numen (nam dignus magnos sollertis ad ausus)
Multiplicet meritis dona perenne tuis.

Defluat, unde potest, e Coelis omne serenum,
Vive diu felix, noster, et Urbis honor.

Datum Laquedoniae IV. Nonas Martii
Anni MDCCCXXVIII.

VALDE ILLUSTRES
VINCENTIUM FRANCIOSI INTER, ET **ROSAM CATALDI**,
SOLLEMNITER CUM HYMENAEI CELEBRATI SINT
AUSPICATISSIMI,
ROCHUS CANONICUS DE GREGORIO
VARIARUM ACADEMIARUM SOCIUS,
IPSIS AFFINITATE CONJUNCTUS,
SUI CORDIS INTIMA PATEFACIENS,
IN AMORIS, BENEVOLENTIAEQUE MONUMENTUM,
AMBOBUS BENEMERITIS HOC LYRICUM DICAT CARMEN
EPITHALAMIUM.

ODE

Pronuba Iuno favet comis. Rosa Lilio (*) ligatur:
Odore flagrans, sentit Haec juvamen.
Lilia mixta rosis visu faciunt satis Venustum;
Utrumque nexum gratius renident.
Est Venus ore tuo, VirgoRosa, plurimum pudice
Quod Anterotis tela torquet auri.
Pectore Pallas habet sedem; sapienter urget, atque
Addit decorem rebus Haec, modisque.
Filius et Cereris Plutus dominatur in Paterna
Domo. Nitorem Hic adjicit, decusque.
Omnia virtutum Tibi sunt: Venus, ac Minerva certant,
Ut dona tradant: alma Iuno Sponsum.

(*) *Gentis Franciosi Stemma tribus liliis decoratur.*

En Vincentius est: Zonam Tibi solvit Hic peritus
In jure, par et dotibus, decore.
Virtutis specimen Sponsi, vitio nimis remoti
Ab omne, flores estis hujus aevi.
Ambos miratur junctos populus ferens ad altum:
Res pulchra visu! pulchrius ciens spem.
Si verum effectus caussae similes putat futuros,
Pulchrum feraces mox genus daturi.
Nominis hoc fastis gestis, titulis, honore famam
Reddens perennet gloria Parentes
Vivite felices nostri memores procul periclis,
Vobis salus sit, Nestoris diesque.

Datum Laquedoniae X. Kalendas Januarii
Anno Domini MDCCCXXXIII.

Causidici pecunia frumenti emptione sine successu,
Hinc Oleandulo in negotium data, brevi absumpta est.

Docta Themis peperit multos Tibi culta per annos;
Abstulit e manibus protinus alma Ceres.
Quod Cereris superest, grave Olens Oleandulus aufert;
Sic pereunt Themidos parta labore diu.

EXCELLENTISSIMO COMMENDATORI,
PASCHALI MIRABELLI CENTURIONIO
PROVINCIAE PRINCIPATUS ULTERIORIS PRAEFECTO
BENEMERENTI,
A PONTIFICE MAXIMO **PIO NONO**
ORDINE SANCTI SILVESTRI FAUSTISSIME DECORATO,
ROCHUS DE GREGORIO
SANCTI SEVERI EPISCOPUS, ET EQUES REGALIS ORDINIS
FRANCISCI I.
AMICISSIME GRATULATUR.

HEXASTICON EXTEMPLO MEDITATUM.

Praefecto eximio fauste, Provincia, gaudes,
Cujus in Orbe loquens inclyta fama volat.
Papa Hunc pro meritis summo donavit honore
Commendatoris, laudibus afficiens.
Rex noster potiora ferat, potiora meretur.
Quod mea vota petunt, Numen ab arce sinat.

Datum Sancti Severi Idibus novembribus
Anni MDCCCLII.

ADMODUM REVERENDO DOMINO
FRATRI MICHÆLI THOMÆ SALZANO
ORDINIS PRAEDICATORUM INSIGNI MAGISTRO, ET EX PROVINCIALI,
PRO MERITA, ET PUBLICE ACCEPTISSIMA SUA PROMOTIONE
AD REGIUM CONSULTOREM
A CLEMENTISSIMO NOSTRO REGE **FERDINANDO SECUNDO**,
ROCHUS DE GREGORIO
EPISCOPUS SANCTI SEVERI, ET EQUES REGALIS ORDINIS FRANCISCI I.
INTIMA CORDIS EFFUSIONE AMICISSIME GRATULATUR.
EXTEMPLO MEDITATUM

EPIGRAMMA.

Praemia Virtutem, justum est, quod justa sequantur,
Hinc meritis justi suscipe dona Patris.
Consule nunc Regi, Regno nunc consule navus,
Consule nunc sacris, consule nuncque Deo.
Gaudia felicis successus testor Amicus,
At potiora frui, Rege probante, queas.
Sume pedum, sacris redimitus tempora Vittis;
Gloria Pastorum, gloria nostra fores. . .
Hoc est in votis; humiles haec vota precamur
Admittat pronis auribus Omnipotens.

Datum Sancti Severi IV. Kalendas Januarii
Anno Domini MDCCCLII

Sub Imagine Domini Josephi Longo parochi Ecclesiae S. Joannis Rotundi.

Pastor in effigie , Christi Pastoris imago ,
Duxit ad Aeterni pascua rite pecus.

Hic Joseph Longo Parochus , florente juventa ,
Occubuit , fatum cive dolente suum.

D . O . M .

ADMODUM . REVERENDO . PATRI

FRATRI . JOSEPHO . NAPOLITANO . A . BRUSCIANO

MINORUM . OBSERVANTIUM . LECTORI . RUDE . DONATO

ORATORI . EXIMIO

ROCHUS . DE . GREGORIO

EPISCOPUS . SANCTI . SEVERI . ET . CIVITATEN

ADMIRATOR

HOCCE . COMPENDIUM . PRAECLARARUM . CONCIONUM

IN . HAC . CATHEDRALI . PUBLICIS . VOTIS . SATIS . EXPLETIS

ENUNCIATARUM

GRATI . ANIMI . ERGO

D . D . D .

SACRAE CONCIONES

I.

Omnibus est certe moriendum : Vita peribit ;
Ast ubi , vel quando , aut quomodo , nescit homo.

II.

Jure fides Christo cunctis est prorsus habenda :
Heros Heroum est maximus ; Ipse Deus.

III.

Parcendum nostris inimicis. Jussa capessis
Numinis , hoc faciens ; et tua lucra facis.

IV.

Omnipotens Semen virtutis Concio sacra est ;
Qui rite hanc audit , creditur esse Dei.

V.

Judicium atra dies, grandis confusio, terror;
Comburi, et semper, cogitur igne malus.

VI.

Est Sapiens; Legis Lator perfectior; Instar
Est populi verum Christus, et alma salus.

VII.

Sontem, ac Insontem teneat quoque poena necesse est
Externe; quoniam sic cadit ira Dei.

VIII.

Si miser est vivens, omnes orare tenemur,
Et bene; quandoquidem qui petit, accipiet.

IX.

Propter peccatum veniunt adversa per orbem:
Hoc facit omne malum, destruit omne bonum.

X.

Oratio Panegirica S. Ioseph.

Magnus Justitia Joseph: Pater Ipse putatur
Christi: dum Natus subditur Ipse Deus,
Justitia est major: Cunctorum maximus extat
Justitia; quoniam praemia digna tulit.

XI.

Numinis ad vocem festinet quisque vocatus:
Differs? Injustus cogeris Ipse mori.

XII.

Oratio Panegirica S. Benedicti.

Nuntius est Verbi Benedictus, Apostolus, atque
Praeceptor Gentis, quam sua norma docet.

XIII.

Scandala sunt Mundi, cui dantur, magna ruina:
Scandala sunt damno dantibus ipsa quoque.

XIV.

Prae reliquis vitium est lascivia quippe nefandum,
Excaecans mentem mobilitate Viri.

XV.

Oratio Panegirica Annuntiationis.

Angelus Excelsi Matrem Te, Virgo, salutat,
Tuque humilis *fiat* prodis ab ore potens.

Dumque humilis *fiat* prodens, Ancilla vocaris,
Es potis, et valde, Numinis alma Parens.

XVI.

Visio monstratur, quae me facit usque beatum;
Ut fruar atque Deo Coelica Regna tenens.

XVII.

Improbus urgetur, quem poenis poena lacessit;
Undique flamma furit: poena perennis erit.

XVIII.

Spiritus ad Dominum, Centrum, suo pondere tendit,
A quo damnatus cogitur esse procul.

XIX.

Si patiens pateris, peccati a morte resurgis,
Virtus perficitur; gloria summa manet.

XX.

Nobis, atque aliis hominem nihil esse videmus:
Ergo sis humilis, Christus ut Ipse fuit.

XXI.

Purgantes animas ostenditur esse juvandas:
Justitia hoc, pietas, nostraque lucra jubent.

XXII.

De S. Margarita de Cortona.

Margarita fuit peccatrix grandis amando;
Dans poenas summas, grandis amore Dei est.

XXIII.

Si Deus est hominis tam dulcis primus Amator,
Corde tuo primum debet habere locum.

XXIV.

Omnino vitent homines venialia; namque
In pejora ruent; maxima poena manet.

XXV.

Se contra est stultus, quem humana Sapientia nutrit:
Quo magis est sapiens, eo magis insipiens.

XXVI.

Relligio Christi falsa est, delirat iniquus;
Quaevis Relligio nos facit esse bonos.

Christi Relligio monstrabitur unica vera,
Extra quam salvus esse nequibit homo.

XXVII.

Vincitur ignaris humana Sapientia prorsus:
Ingens vis saecli debilitate ruit.

XXVIII.

Quodlibet unde bonum privatum prodit, et auget;
Relligio Christi est in pietate manens.

XXIX.

Omnibus omne bonum, quaevis felicia donat
Christi Relligio, quae pietate viget.

XXX.

Oratio Panegirica de Virgine Dolorosissima.

Objecti caussa gladius transfigit acutus,
Omnibus adjunctis, Virgo dolore cadit.

XXXI.

Justitia, et Pietas Te cogunt, Christe, perire:
Tanta fuit nostri criminis impietas! . . .

XXXII.

Surrexisse Deum crucifixum credere cogit
Ipse Deus: Spem dat credere nostra Salus.

XXIII.

Expectat Dominus peccantem, parcat ut ipsi;
Ut convertatur, vivat et usque bonus.

SACRO ORATORI ENCOMIUM

Praemia si juxta meritum tribuantur, oportet;
Quae Tibi pro merito praemia digna dabo?

Congruus, ornatus, concinnus, planus, et aptus
Hos recreas Cives, dum tua verba facis.

Erudis, ac pravi mores mutantur; in horas
Improbus evadit vir probus, atque pius.

Quae potero, remanent ad gratos omnia nutus,
Et Tua per populos fama perennis erit.

Datum Sancti Severi, Octavo Kalendas majas
Anno a Christo nato MDCCCXLVIII.

PERILLUSTRI, AC ADMODUM REVERENDO SACERDOTI,
DOMINO **CAROLO FRANCIOSI**,
CATHEDRALIS ECCLESIAE LAQUEDONIAE CANONICO
DESIGNATO,
ROCHUS CANONICUS DE GREGORIO,
IPSI AMICITIA, ET AFFINITATE CONJUNCTUS,
AMORIS ERGO, LAETITIAEQUE,
HOC EXTEMPLO MEDITATUM
D. D. D.

EPIGRAMMA

Pulveris infesti vertex urgetur ab austris,
Nubila diffugiunt; sidera fausta micant.
Qui populum mire docuit per pulpita Christum;
Quique, regens animas, apta medela fuit;
Qui miseris large donat, virtutis amator,
Moribus intëgris, praemia digna capit:
Ecquis? Io!... noster conjunctus, certus amicus,
Iste Choro mecum Carolus ecce canet.
Plura Tibi « mea vota ferunt » det Numen ab Alto;
Fulgeat inde super sacra Tiara caput.

Datum Laquedoniae XIII. Kalendas quintiles
Anno a Christo nato MDCCCXLI.

EIDEM CANONICO, EJUSDEM CATHEDRALIS ARCHIDIACONO
FAUSTE
PRIMAE CAPITULI DIGNITATI RENUNTIATO IDEM AUCTOR
ROCHUS EPISCOPUS SANCTI SEVERI
D. D. D.

VATICINIUM.

Lilia si pretio cunctis mage floribus extant,
Stemma tuum reliquis fulget honore magis.

In Fratres primus si nunc dignaris haberi,
Inter Praelatos fulgida stella mices.

Gratulor! et valeas centum per saecula felix:
Hoc mea vota ferunt, hoc Deus inde volet.

Sancti Severi Nonis Februarii MDCCCXLVIII.

DOMINO **LEONARDO BOZZONE**,
LAQUEDONIENSI ACOLYTHO, (*)
INTER DIGNOS VENERABILIS ASCULANI SEMINARII EPHEBOS
EXCELLENTI,
ROCHUS CANONICUS DE GREGORIO
CIRINIOLAE SEMINARII RECTOR, ET ELOQUENTIAE
PROFESSOR,
GRATIAS AGENS PRO CARMINIBUS ACCEPTIS,
HOC DILECTISSIMO SUO QUONDAM AUDITORI MITTIT

EPISTOLIUM.

O Leonarde, meri thasii mihi dulcior haustu,
Suavior ambrosia, mage gemmis carus, et auro,
Quas tibi pro tanto mihi misso rite rependam,
Et quantas grates nunc pleno carmine frugis?
Omnia ad obrussam sunt; est, ut Epistola poscit,
Et numerus simplex; procedunt omnia belle.
Evax! Exsiliens miror; potiora sequentur.
Qui mare, qui terras, qui Coelum temperat, Ipse
Pro Te suscipiat nostri ferventia vota.
Dulciter interius nostro Tu pectore sedem
Semper habebis. Ego facilis tua vota capessam.

(*) *Nunc Canonicus Cathedralis Laquedoniae optimae frugis, benemerentissimus*; *et Seminarii Eloquentiae Professor.*

Tot Ducibus, tantisque viris (*) qui gloria Regni
Sunt, isthic studiis omnes intendito nervos;
Sic Tu cerneris nostri fulgere Corona
Olim Discipulus; famam ac estendere factis.
Majores cultu afficias, ac moribus esto
Integer: obsequium Tibi sic captabis Eorum;
Tangere sic poteris metam, quo tendis. Amice,
Incolumis vitam ducas, et prospere semper:
Hoc mea vota petunt; his, Numen, annue votis.

Ex Venerabili Ciriniolae Seminario XI. Kalendas
Martii, Anni MDCCCXXXVI.

(*) *Subintelligitur Excellentissimus Praesul tunc Asculanus D. Franciscus Javarone, doctrina, et sanctitate celeberrimus, Sacrae Theologiae Professor exercens in Seminario, et*

Excellentissimus D. Josephus Montieri tunc Vicarius Generalis illius Dioecesis, et in Seminario Professor Juris naturalis, et Canonici, nunc Episcopus Soranus, item notus moribus integerrimis, et doctrina non communi.

FACTUM IN EPULIS CAMPESTRIBUS EXPLORATUM IN NUMERIS REDACTUM EST, ADDITA MORALITATE.

EPIGRAMMA

Fructibus ex pelagi ruri mensa paratur,
  Unus corticibus pandit utrumque latus.

Musculus ecce cibum duplici de cortice quaerit,
  Stringitur in pedibus, captus et inde manet.

Convivae risum minime cohibere valemus;
  Multa tamen nostri volvere mente juvat.

Insidias ulli nunquam meditare vel imo,
  Actibus in cunctis consule rite geri:

Hinc caveas; nam aliis mortem dum forte parabis,
  Criminis in poenam, victima prima cades.

MDCCCXLVI.

IN PATRIAM MEDITABUNDUS,

EPIGRAMMA

Haec antiqua fuit nobis Laquedonia Tellus
  Patria ; Majores hic posuere Lares.

Noster et hic Genitor vitales venit ad auras,
  Et coluit parvus tecta paterna puer.

Hic annosa domus labefacta videtur ; Avorum
  Hoc venerata jacent ossa sepulta solo.
Quam brevis , heu ! trames tumulo cunabula jungit . . .
  Quam bene Flaccus ait « pulvis , et umbra sumus »

IN BRUMALE TEMPUS GELU, ET NIVE INSAEVIENS, THEMATE DATO,

HIPOTYPOSIS EXTEMPLO MEDITATA.

Praeterit Autumnus: dulcis Pomona recedit:
  Invidet, et colles Evius ipse fugit.
Flora remota petit: non adsunt lilia terris:
  Spina riget: succo gramina cuncta vacant.
Fronde caret vitis; spoliataque frondibus arbor
  Alget; et in campis jugera sicca vides.
Viribus immensis Coelos obnubilat Auster;
  Infremit inde Notus; plurimus imber adest.
Algidus adversum Boreas bacchatur, et omnem
  Illico vestit humum candiditate nivis.
Aufidus ad ripas non urget: fraenat aquarum
  Vim glacies: Najas crine soluta tremit.
Cursitat huc illuc, residetque volatile ramis,
  Frigida membra quatit, nec capit ore cibum.
Hinc pecudes, armenta jacent, genus omne bubulci,
  Antra tenet luctus, terror ovile capit.
Silvanus, Faunique gemunt, Cererisque Ministri,
  Alma Ceres, Plutus, rustica Diva Pales.
Pars armenta juvant, ovibus pars arte ministrant;
  Pars foenum; potum; pars facit aute viam.

Euphrosyne, et Nymphae nequeunt celebrare Choreas;
Argutum nec dat fistula dulce sonum.
Angimur a Nimbis; resonant nec carmine rupes;
Arvaque languescunt, tristia cuncta manent.

Ex Venerabili Ciriniolae Seminario, Idibus Januarii
Anni MDCCCXXXVI.

Rochus Canonicus de Gregorio
Rector, et Eloquentiæ Professor

D . O . M .

PRINCIPEM **LEOPOLDUM BORBONIUM**

PIENTISSIMI . NOSTRI . REGIS

FERDINANDI SECUNDI

PATRUUM . AMATISSIMUM

QUI . IN . RELLIGIONE . FERVENTISSIMUS

ET . IN . PAUPERES . MUNIFICENTISSIMUS

VITAE . CURRICULUM . EXPLEVIT

HEIC

IN . CATHEDRALI . ECCLESIA

LUBENTI . ANIMO

ROCHI . DE . GREGORIO . SANCTI . SEVERI . EPISCOPI

ET . CLERI

SUBPRAEFECTI

MAGISTRATUUM . ET . POPULI . OFFICIOSISSIMORUM

EFFUSISSIMAS . INTER . LACRUMAS . SUPREMA . FERENTIUM

SACRA . PIACULA . RESOLVUNT

III. KALENDAS . APRILIS . ANNI . PARTAE . SALUTIS

MDCCCLI.

AEDES . HAS . EPISCOPALES
VETUSTATE . GRAVI
ENNOSIGAEO . SAEPE . SAEPIUS . HIANTE . ET . URGENTE
AC . DILABENTIBUS . AQUIS
IN . SUPERFICIALIBUS . FUNDAMENTIS . LATE . DIFFUSIS
SENSIM . SINE . SENSU . GEMENTES
PENE . QUASSATAS
IMMINENTEMQUE . RUINAM . UNDEQUAQUE . MINITANTES
ROCHUS DE GREGORIO
EQUES . REGALIS . ORDINIS . FRANCISCI . PRIMI
HUJUS . DIOECESIS . EPISCOPUS
AERE . PROPRIO
LAQUEARIBUS . REFECTIS
FERREIS . DESUPER . INSERTIS . CATENIS
IISDEMQUE . FUNDAMENTIS . AD . TRIGINTA . CIRCITER
DODRANTES .
ARTE . DEDUCTIS . ET . AFFABRE . ROBORATIS
SUB . CURA . ANTONII . DE . LORENZO
LAQUEDONIENSIS . ARCHITECTI
EX . INTEGRO . REPARAVIT .
ANNO . PARTAE . SALUTIS . MDCCCLII.

Curribus , et phaleris quondam addicta , refectis
Aedibus , evasit mercibus apta Domus. (*)

(*) *Refert ad receptaculum quondam rhedarum , nunc in mercium apothecam conversum.*

D . O . M .

VETEREM . CATHEDRALEM . HANC

TEMPORUM . INJURIA . PENE . QUASSATAM

VEL . LAQUEARIBUS . COLLABENTIBUS

MISERRIMI . EREMITAE . (*) STUDIUM . CIVIBUS . FAVENTIBUS

FERME . EX . INTEGRO . REPARAVERAT . QUATUOR .

FORNICIBUS

QUI . VIX . ABSOLUTI . ANNO . MDCCCXLI.

EX . INSPERATO . NOCTU . LAPSI . SUNT . NON . BENE .

CONSTRUCTI

AT . SPLENDIDISSIMUM . OPUS

NON . SOLUM . MINIME . INTERMISSUM

VERUM . ETIAM . NAVIBUS . HINC . INDE . EXCITATIS

ALACRIORI . FIDENTIORIQUE . CONATU . ADEO . PROPERATUM

UT . CELERITER . EXPLETUM . IN . ELEGANTIOREM . MODUM

ET . ORGANO . MAGNIFICO . EXORNATUM

OPE . DIVINA

BEATAEQUE . VIRGINIS . TUTAMINE

FAUSTISSIME . LAQUEDONIAE . CONSPICIATUR

ANNO . REPARATAE . SALUTIS

MDCCCXLVIII.

(*) *Sutoris Philippi Zichella, bonae frugis Viri.*

Rochus de Gregorio *a Laquedonia, Episcopus Sancti Severi hanc scripsit memoriam, quam posteris commendavit.*

D. O. M.

SEMINARIUM . HOCCE . SACRUM
NULLO . UNQUAM . TEMPORE . HEIC . CONSTRUCTUM
NON . AERE . COLLATITIO . AUT . PRECARIO
SUMPTIBUS . AT . SUIS
MAGNANIMUS . NULLIQUE , SECUNDUS
MICHAEL . LANZETTA . LAQUEDONIENSIS . EPISCOPUS
AD . ADOLESCENTIUM . AETATEM
RELLIGIONE . PIETATE . ET . ECCLESIASTICIS . DISCIPLINIS
INSTITUENDAM
PUBLICIS . SIC . VOTIS . SATIS . EXPLETIS
A . FUNDAMENTIS . EXCITAVIT
ANNO . DOMINI . MDCCCXXXVII.

SANCTI NICANDRI,

IN QUATUOR LATERIBUS SARCHOPHAGI

DOMINI VINCENTII PALMIERI, DOCTORIS PHYSICI,

NEC NON EJUS GERMANI DOMINI JOSEPHI.

EPITAPHIA.

I.

D. O. M.

QUI . QUI . TU . ES . BONE VIATOR
SISTE . QUAESO . GRESSUM . PARUMPER
LEGE . LUGE .
DOMINO . JOSEPHO . PALMIERI
INTER . REGIAS . HONORIS . EXCUBIAS . UNI
OPTUMAE . FRUGIS . ET . IN PAUPERES . PIENTISSIMO
NEC. NON
DOMINO . VINCENTIO
PLURIES . CIVICO . PRAEFECTO
IN . PUBLICUM . BONUM . SEDULO . INCUMBENTI
DOCTORI . PHYSICO . PROBITATE . POLLENTI
ET . CHARITATE
IN . MEDIO . AETATIS . CURRICULO . FATO . CORREPTIS
CUNCTIS . CONTERRANEIS . DOLENTISSIMIS
NUNC . HEIC : AMBOBUS . FLEBILIBUS
IN . PACE . QUIESCENTIBUS . INDE . RESURRECTURIS
ANGELUS . PALMIERI
SUPERSTES
GERMANIS . SUIS . AMATISSIMIS
AC DESIDERATISSIMIS . INTER . LACRUMAS
HOC . MONIMENTUM . PONENDUM . CURAVIT
ANNO . A . CHRISTO . NATO . MDCCCLI.

II.

D. O. M.

Respiciens tumulum, similem meditare jacentem;
Quam citius quoniam victima mortis eris.

Te latet hora quidem, quamvis florente juventa;
Et puerum, et juvenem, mors rapit atra senem.

Pone, Sperbus homo, fastum; quaecumque revolvis
Mente Tui, pulvis cogeris esse miser.

III

D. O. M.

Tempus edax hominum dispergit cuncta potenter :
Et genus , et Virtus , divitiaeque cadent.

Sunt armenta Tibi , Tellus linquenda , domusque ,
Quodlibet et placitum ; nam brevis es dominus.

Aeternos annos sollers in corde volutes ,
Si cupis extinctus prospere pace frui.

IV

D. O. M.

Disponas domui. Si magnus, magna relinques:
Quae Te Terra dedit, protinus ipsa feret.

Non murex tecum, gemmae comitentur, et aurum;
Sordida sed vestis putida membra teget.

Te manet e pompis vermis, putredo, sepulchrum;
Ille comes, lectum haec, hoc spatiosa domus.

EXCELLENTISSIMO COMMENDATORI
PASCHALI MIRABELLIO CENTURIONIO,
PROVINCIAE PRINCIPATUS ULTERIORIS PRAEFECTURAE
A FUNCTIONIBUS AD PROPRIETATEM EVECTO,
ROCHUS DE GREGORIO
SEVEROPOLITANUS EPISCOPUS,
ET EQUES REGALIS ORDINIS FRANCISCI I.
IUCUNDISSIME GRATULATUR.

HEXASTICHON
EXTEMPLO MEDITATUM.

Praedixi fauste faustus, Te fausta sequuntur;
Usque tuis faustis det meliora Deus.

Papa, tuis meritis, titulis Te sponte decorat:
Rex jubet, et meritis praemia digna capis.

Augeat aucta potens; videas augenda peraucta:
Annis, ac meritis plenus, ad astra voles.

Datum Sancti Severi V. Nonas martias
Anno a Christo nato MDCCCLIII.

EXCELLENTISSIMO TORELLAE PRINCIPI,
DOMINO **JOSEPHO CARACCIOLO**,
NOBILISSIMO VIRO, ATQUE BENEMERENTISSIMO,
ROCHUS DE GREGORIO, SEVEROPOLITANUS EPISCOPUS,
ET EQUES REALIS ORDINIS FRANCISCI I.
EX IPSIUS FEUDO RIPALTAE, IN SANCTA VISITATIONE
L. A. D.

EPIGRAMMATICUM EPISTOLIUM.

Perlustrans iterum, velut est de more quotannis,
Has sacras Aedes, quas tua jura trahunt:

Stemma tuae Gentis contemplo, et mente volutans,
Interpres fio, sic mea vota ferens:

Hic Elephas ingens, Numen, Regemque salutans,
Est Genus egregium Relligione, Fide . . .

Suscipe, quae scripsi Ruri, mea Carmina comis
In Te devoti cordis in obsequium.

Prospere duc vitam, Numen, Regemque colendo,
Protegat et Princeps Teque, Tuosque, Deus.

Idibus octobribus, Anno Dominicae Incarnationis
MDCCCLIII.

IN QUATUOR LATERIBUS ARCAE FUNEBRIS IN ECCLESIA SANCTAE MARIAE *SUCCURRE MISERIS* SANCTI SEVERI.

I.

Sacrorum fulget Mundi Suprema Potestas,
In nihilumque redit, qui tria regna tenet.
Sacra Tiara, Pedum casum subitura supremum,
Lex est; dumque nitent, mox peritura cadunt.

II.

Illico sorte pari franguntur sceptra, ligones,
Visceribus Tellus utraque mixta capit.


III.

Omnia, quae Mundus veneratur, pulvis et umbra est:
Quae potiora colit, deteriora videt.

IV.

Quisquis es, huc adsis: fastum depone: memento,
Quod carnem rodet vermis, et ossa brevi.

Pcstridie Idus Octombris Anno ab Incarnatione Domini MDCCCLIII.



SIGNIFICATIO STEMMATIS AUCTORIS.

Dentibus hoc scutum nigris ornatur, et albis:
Robur, et ad mortem Militis ecce fidem.

Praesul Eques ROCHUS prisca de Gente Gregori,
Comis in Urbanis, fortis in Officio . . .

MDCCCXLIII.

PERILLUSTRIBUS, ET ADMODUM REVERENDIS DOMINIS,
DOMINIS DIGNITATIBUS, ET CANONICIS,
INSIGNIS CATHEDRALIS ECCLESIAE SANCTI SEVERI,
MORUM INTEGRITATE, SCIENTIARUM DISCIPLINIS, RELLIGIONE,
ET PIETATE
NULLI SECUNDIS,
ROCHUS DE GREGORIO,
SANCTI SEVERI EPISCOPUS,
ET EQUES REGALIS ORDINIS FRANCISCI I.
OB INSIGNIUM PRAELATITIORUM INDULTUM, IPSIS A SANCTA
SEDE OBTENTUM,
USUSQUE PONTIFICALIUM INSTAR ABBATUM,
IN SUAE PRAEDILECTIONIS PERENNE MONIMENTUM,
HOC EXTEMPLO MEDITATUM EX INTIMO CORDIS AFFECTU
D. D. D.

EPIGRAMMA.

Prosequimur valde, meritis poscentibus istud,
Collegium nostrum dulcis amore Patris.

Pandimus idcirco nostri praecordia, dantes
Pontificis Vestes, Pontificare modum.

Viscera nostra Patris, non sunt expleta, volentes
Nos magis effundi, si foret arbitrium.

Suscipe, quae potui, Nobis dilecte Senatus:
Sis felix; Urbis Gloria; noster Honos.

Nonis Decembribus.
MDCCCLIII

BEATISSIME PATER,

Ingravescente sine mente hominum, quorum Capiti helleborum, perfidia in hisce temporibus infensissimis, in quibus undique inferi Portae irruere conantur in Sacrosanctam Christi Religionem, unicam veram, Catholicam, et Apostolicam, in Te Pium Papam Nonum Pontificem Maximum, Universalis Ecclesiae Caput egregium, benemeritumque; et in miserrimos cujusque gradus, et ordinis Christos Domini, *manus mortuas, et nigros* in contemptum nuncupatos; inter angustias, et acerbissimos animi motus, a quibus omnes veri Christifideles anguntur abjecti, placuit Altissimo Domino, in sua Providentia gaudia fletibus miscenti, ut in praecordiis nostris, spinis obrutis calamitatum, aliquo perfrueremur solatio, et quadam laetitia afficeremur, Lumen Sancti Spiritus Tibi, Beatissime Pater, impertiendo, quo in aetate nostra tam injucunda, et perniciosa, memorandum, et omni laude dignum Mysterium Beatissimae Virginis, et Matris Mariae Conceptionis in primo instante Immaculatae, Episcoporum omnium, Sacerdotum, et populorum, Ipsis commissorum, ex intimo cordis affectu, pia credentia, et devotione, cunctis faventibus suf-

fragiis, ex Petri Cathedra infallibili, dogmatice declarare digneris, et confirmare. Quapropter Beatitudinis Tuae, uti par erat, obtemperans voluntati, et statim honorificentissima Tua jussa capessens, indicto Triduo in hac mea Dioecesi, et ad id aptis Populo concionibus habitis, ex Parochorum Litteris in unum confluentibus comperi, et hisce meis auribus hausi, Ipsos, et populos, sibi in spiritualibus subjectos, firme credere, et retinere, Beatissimam Virginem et Matrem Mariam in primo instante suae Conceptionis fuisse Immaculatam, utque talem, novenarium, et festum Ipsi dicatum, ferventissimo Relligionis affectu recolentes, specialissima observantia, et devotione prosequi, meis, et omnium piissimis votis, jure, meritoque, satis expletis. Nemo enim unquam ex Christianis, licet mente coecus, et corruptus corde, ut compertum est experientia, audet credere, vel saltem cogitare, Aeternum Patris Verbum illam assumpsisse carnem, quae ictu temporis, quamvis imperceptibili, tartareis Potestatibus fuerit obnoxia. Cum meis igitur omnibus de Clero, et Populo in genua provoluti, Beatitudinem Tuam suppliciter deprecamur, ut inter dogmata nostrae Orthodoxae Fidei istud quoque Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae, in primo instante Immaculatae, solemni ritu, faustissime recenseas, et confirmes, et Ipsamet Beatissima Virgo, hoc verissimo glorioso Titulo ab Ecclesia relligiosissime dogmatice decorata, juxta commune votum, quam primum, Te,

Beatissime Pater, restituet in gradum pristinum in Sanctam Petri Sedem, in consuetis omnibus juribus, et honoribus confirmabit, solidabitque, infausta omnia libentissime averruncabit, Teque, et omnes Populos, Ipsam sic credentes, venerantesque, exoptata procul dubio pace donabit, et tranquillitate. Hinc tandem, hac re nata, cum Paschatis Resurrectionis Dominicae immineat, anniversaria celebritas, cum omnibus de meo Clero, et populo Omnipotentem Deum enixis precibus sollicitamus, ut Tibi, Beatissime Pater, Charismatum dona, divinasque gratias, et benedictiones innumeras ab excelso solio gloriae Suae elargiri dignetur, et per saeculum, et ultra incolumem semper Te servet, sospitetque ad Ecclesiae bonum, felicitatemque, dum omnes proni, et valde devoti observantes, Tuos Pedes osculis appetimus, humillime Papalem implorantes Benedictionem.

Datum S. Severi Kalendis aprilis MDCCCXLIX.

Beatitudinis Tuae

Pio Papae Nono,
Pontifici Maximo,

Cajetam.

Humillimus Famulus, et Subditus Officiosissimus
Rochus de Gregorio Episcopus Sancti Severi

BEATISSIME PATER,

Omnipotentis Dei gloria, et Sanctae Romanae Ecclesiae Catholicae, et Apostolicae nobili triumpho, in praecordiis meis nimis sum exsultans, exsiliensque; et re quidem vera: in anno enim reparatae Salutis millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, cum pro secunda vice hanc meam Dioecesim visitans perlustrarem, Dominicus Margari, et Catharina Zampino, Graeci Schismatici Conjuges ab Athaenis, ad Catholicam unitatem sunt reversi, et in sensibus nostrae verae Fidei, Sanctissimis Sacramentis refecti, ex hac vita migrarunt. In anno vero sequenti in Sancta Missione Reverendorum Patrum Sanctissimi Redemptoris, Nubilis Maria Margari, annorum circiter viginti, et Germanus ejus minor, Paulus-Spiridion, Genitorum exempla sequuti, Verbum Dei audientes, Schismaticorum erroribus coram Me, Episcopalis Curiae Cancellario, et pluribus testibus, ex toto corde nuntium miserunt. Ex quo factum est, ut Graeci Schismatici, huc undique confluentes, irruerent, nihil intentatum relinquentes, ut Sinonis arte juvenes istos sibi strenue vindicarent. At Religiosissimi nostri Regis, optimorumque Magistratuum Auctoritate a me implora-

ta, Puellae Religionem, pudicitiamque in hoc Orphanotrophio Feminarum per quatuordecim menses summa solertia custodivi; et Puerum meis in Aedibus Episcopalibus propriis sumptibus pro Deo, summopere alui, coluique. Hinc munificentia peroptimi nostri Principis Ferdinandi Sècundi « a me ad id enixe rogati » pecuniam huic Venerabili Dioecesano Seminario solventis, Puer in praefato Seminario inter Ephebos vitam ducit, sedulam navans operam disciplinae morum, studiorumque. In die autem Ascensionis Domini, legibus cunctis rite, recteque servatis, Pontificalia exercens in hac mea Cathedrali, Civium cunctorum geminatis plausibus, festiva gaudia efferentium, Nubilis Mariae Margari Nuptias cum honesto Christifidele, Aloysio Montedoro, aetate pari, et fortunarum conditione, ad Dei gloriam solemniter benedixi. De hisce omnibus mei sacri muneris existimavi Beatitudinem Tuam certiorem facere, ut Caput Ecclesiae, et participem nostrae exultationis in Domino. Tandem, hac pro faustissima re nata, cum Reverendissimo Capitulo, Cleris cunctis, Monialibus, et Populo hujus Sancti Severi Civitatis, et Dioecesis intimo cordis affectu, et devotione Tibi gratulamur centies, milliesque pro Tua a Nobis tam exoptata, digna, et felici ad Pontificatum Maximum evectione, humillima submissione Te recognoscentes ut Petri Successorem, et Christi Vicarium in Terris, a Quo bonorum omnium Largitor Deus arceat omne malum per saeculum ad univer-

sac Ecclesiae, et nostri pacem, conservationemque. Postremo ad Tua genua provolutus cum omnibus meis Sacris Ministris, et Populo devotissime Tuis pedibus oscula figo, Papalem mihi, et cunctis hujus meae Dioecesis efflagitans Benedictionem.

Datum Sancti Severi Kalendis Quintilis
Anno a Christo nato MDCCCXLVI.

Beatitudinis Tuae

PIO PAPAE NONO,
Pontifici Maximo;

Romam.

Humillimus Famulus et Subditus Obsequentissimus
ROCHUS DE GREGORIO EPISCOPUS SANCTI SEVERI

PIUS PAPA IX.

Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem. Summae quidem laetitiae Nobis fuerunt tuae Litterae, Kalendis hujus mensis datae, quibus, Venerabilis Frater, significasti, Te Dioecesim istam pro potestate iterum lustrante, Dominicum et Catharinam Conjuges Margari, singulari miserantis Dei beneficio, schismaticae pravitatis ejuratis erroribus, ad Catholicae Ecclesiae gremium rediisse, eosque sanctissimis Sacramentis rite munitos, in verae religionis professione ex hac vita migrasse. Neque minorem cepimus consolationem, quod illorum deinde filii Paulus Spiridion, et Maria, divina adspirante gratia, parentum exempla imitantes, catholicam pariter fidem amplexi fuerint, atque in sancto proposito persistant. Humiles igitur bonorum omnium largitori Deo gratias agimus, a quo in omni oratione, et obsecratione humiliter poscere nunquam intermittimus, ut secundum magnam misericordiam suam omnes propitius illuminare dignetur, quo veritatis lucem aspiciant, et instent viam, quae ducit ad vitam. Te vero, Venerabilis Frater, meritis in Domino laudibus prosequimur, qui pro episcopalis tui ministerii officio in animarum salutem procurandam tam

pie, ac studiose incumbis. Libentissimo autem animo gratulationes, et vota excepimus, quae istius quoque tui Cleri, Populique fidelis nomine Nobis obtulisti, ob Nostram ad Summum Pontificatum evectionem. Perge assiduis, fervidisque precibus misericordiarum Patrem obsecrare, ut qui Nos, licet indignos, atque infirmos, ad totius Ecclesiae suae Sanctae regimen, difficillimis hisce, atque asperrimis temporibus, evexit, idem omnipotenti sua virtute imbecillitatem Nostram adjuvet, roboret, et confirmet, quo formidandi Apostolici muneris onus cum majore sui nominis gloria sustinere possimus. Nos haud omittemus, ab Ipso Clementissimo Domino suppliciter petere, ut uberrima suae Bonitatis dona super Te benignus effundat, quae in dilectas quoque oves tuae curae commissas copiose descendant. Horum auspicem, et praecipuae Nostrae in Te charitatis testem, Apostolicam Benedictionem intimo cordis affectu Tibi ipsi, Venerabilis Frater, atque illis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem
Die 12 *Augusti Anno* 1846.
Pontificatus Nostri Anno Primo
PIUS PP. IX.

Venerabili Fratri Rocho
Episcopo Sanctiseveri

Sanctum Severum.

INDEX

				ERRATA	CORRIGE
Pag.	20	*v.*	22	Neque	Meque
»	24	»	9	iuctus	iuctus :
»	d.	»	19	teuet	tenet
»	d.	»	22	micas ;	micas.
»	27	»	5	hic	Hic
»	d.	»	6	hic	Hic
»	d.	»	8	hic	Hic
»	d.	»	13	oequora	aequora
»	d.	»	16	piagsa	piagas.
»	30	»	12	fruens,	fruens.
»	d.	»	20	frui ,	frui.
»	34	»	8	hiiaus	hiaus
»	40	»	1	Cristiuse	Christinae
»	d.	»	20	numptae	nuptae
»	41	»	4	doior !...	dolor !.. heu !..
»	d.	»	d.	ducere	dicere
»	42	»	1	Cristiusa	Christinae
»	43	»	3	beuemerentissime	benemerentissimae
»	d.	»	22	officium	officium.
»	51	»	19	Aetaruum	Aeteruum
»	59	»	21	numiue	numine,
»	64	»	18	jubet :	jubet: est
»	d.	»	24	Et	Est
»	71	»	10	patescunt	patescunt ;
»	80	»	10	Exasticon	Hexastichon
»	81	»	14	Et	Est
»	83	»	8	patefacimus	patefacieus
»	85	»	2	Mirabeiii	Mirabeiiio
»	d.	»	11	Exsaticon	Hexastichon
»	97	»	13	aoctrina	doctrina
»	98	»	5	rurí	rurí dum
»	110	»	9	Exasticon	Hexastichon
»	111	»	10	trehun t	trahunt
»	113	»	4	priscu	prisca
»	120	»	3	devotissimo	devotissime
»	122	»	7	od	ad
»	125	»	33	uigra	uigro
»	126	»	3	Mirabelli, Centurione	Mirabellio,Centurionio